



De Herodiani fontibus et auctoritate.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Ericus Baaz
Brandenburgensis.

Promotio sollemnis habebitur die XXVII. mens. Febr. anni MCMIX.

De dissertatione ad ordinem rettulerunt
Otto Hirschfeld Dr. Prof. publ. ord.
Eduardus Meyer Dr. Prof. publ. ord.

Typis expressit Aem. Ebering, Berolini, Mittelstr. 29.

Patri optimo.

Caput I.

De Herodiani fontibus.

De Herodiani fontibus qui primus quod sciam nostris temporibus scripsit, Edwinum Volckmann dico,[1] cum falso Herodianum senatorem fuisse putaret, eum et ex actis senatus et ex epistulis, quas dicimus privatas, hausisse coniecit; sed ipse l. l. fatetur ʻhuic rei testimonia deesseʼ. Deinde paucos post annos hanc rem tractavit Julius de Poblocky[2]; qui hoc saltem concessit Herodianum scriptorum aliorum notitiam habuisse, de compositione autem libri ita iudicat: ʻHerodianum historiam suam maximam partem ex memoria, fortasse etiam ex privatis literis adumbrasse, aliis vero fontibus ita usum esse, ut singula scripta non semper ad manum haberet, sed in universum quid traderent sciretʼ. — Aliam viam ingressus est M. J. Höfner[3]. Is enim Herodiani libris I—III cum Cassii Dionis historiis collatis propter multa paria aut similia Herodianum Dionis libris usum esse censuit, verum in componendo opere non adhibuisse, sed multo ante legisse. Virum doctum fugit scriptorem, si ita res se haberet, non tam saepe, quam ipse intellexit Hoefner, ad verbum cum Dione consentire posse. Quare omnes fere, qui sequuntur, eam Hoefneri opinionem abiecerunt.

---

1. 'De Herodiani vita, scriptis fideque'. Diss. Regimonti Pr. 1859 p. 21. — Wolfii curas Herodianeas praetermittere licet.

2. 'De Herodiani vita, ingenio, scriptis'. Diss. Monasterii 1864 p. 19 s.

3. 'Untersuchungen zur Geschichte des Kaisers L. Septimius Severus und seiner Dynastie I'. Giessen 1875 p. 13, 27, 153, 288. — De libro Caroli Daendliker infra agetur.

Nam Johannes Kreutzer[4] quamquam et ipse Herodianum e Dione hausisse dicit, tamen illud absurdum omisit; de Severi autem bello cum Pescennio Nigro gesto eum Dione seposito alium fontem adhibuisse contendit, qua de re infra inquiremus. Sane id Hoefnero laudi dandum est, quod recte demonstravit ei, qui Herodiani fontes investigare vellet, scriptorem nostrum cum Cassio Dione comparandum esse. — Sed Kreutzeri sententiam refutaverunt Ludovicus Mendelssohn[5] et Albrechtus Wirth[6], quem nostris diebus sequitur Waltharius Thiele[7]. Ab eadem parte stat Eduardus Schwartz[8], ab altera Benedictus Niese[9]. Cum igitur tanta inter viros doctos discordia sit, haud inutile videtur denuo in hanc rem inquirere. Quod ita instituemus, ut primum quaeramus, quos fontes Herodianus in libris suis nominet, deinde Herodiano cum Dione collato scrutemur, quae ratio inter eos intercedat.

§ 1. Herodianus de fontibus suis.

Initio operis sui Herodianus adfirmat se ea, quae conscripturus sit, suae memoriae debere neque ex aliis fontibus hausisse[10]. Neque tamen dubium est, quin aliorum quoque scriptorum libros adhibuerit, cum propterea, quod paene sexaginta annorum res, quas conscripsit, ne optima

---

4. 'De Herodiano rerum Romanarum scriptore. Pars I'. Diss. Bonnae 1881 p. 15—38. 'Zu den Quellen der Geschichte des Kaisers Septimius Severus' in 'Historische Untersuchungen, Arnold Schaefer gewidmet' Bonn 1882 p. 218—238.

5. 'Herodiani ab excessu Divi Marci libri octo ed. L. M.' Lipsiae 1883 praef. p. XIX adn.

6. 'Quaestiones Severianae'. Diss. Bonnae 1888 p. 61 adn.

7. 'De Severo Alexandro imperatore. Caput I. De fontibus'. Diss. Berolini 1908 p. 5.

8. In Pauly-Wissowa R. E. (s. v. Cassius) III 1720, 27.

9. 'Grundriss der römischen Geschichte nebst Quellenkunde'[3] München 1906 p. 253 (in Iwani de Mueller 'Handbuch' III 5).

10. I 1, 3.

quidem memoria praeditus animo retinere poterat — octogesimo enim fere aetatis anno eum librum composuisse necesse est — tum ea de causa, quod in libro ipso saepe aliorum librorum indicia comparent. Nam etsi vera sunt, quae ironice dicit Mendelssohn[11], Herodianum callidissime officinam suam occultavisse, tamen non paucis locis videmus auctorum eius vestigia. Quamquam nominantur non amplius duo libri: Divi Marci Antonini commentarii[12], quibus tamen noster ne in orationibus quidem componendis usus est[13], et Septimii Severi imperatoris de vita sua liber[14]; quo utrum usus sit necne cum non dicat Herodianus, infra de ea re nobis inquirendum erit.

Sed praeterea non raro cognoscimus eum alios auctores adhibuisse; nam nonnullis locis eorum sententias adferre videtur vocibus *λέγουσιν*, *ἐλέγετο* aliis; discordiam eorum significare videtur vocabulo *εἴτε-εἴτε* aut *ἤ-ἤ*. Quare haec primo loco scrutanda sunt.

Qua in disquisitione primum intellegimus Herodianum libenter de rebus ad ritum religionis pertinentibus agere ibique semper confiteri se ea ab aliis accepisse.

Haec sunt

de Magna Matre[15],

de Palladio[16],

---

11. l. l. p. XIX.

12. I 2, 3.

13. Zuercheri ('Commodus' apud Buedingerum 'Untersuchungen zur roemischen Kaisergesch.' v. I Lipsiae 1868) sententia (p. 230) Herodianum quaedam e Marci libris sumpsisse in orationibus eius lib. I cap. 3 et 4 insertis componendis, e Marci commentariis et epistulis ad Frontonem datis non probatur, quamquam concedendum est Marcum, ut fingit noster, in libris quoque suis exempla e temporibus prioribus delegisse; cf. Marci comm. IV 32; 33; VI 24; IX 29 cet.

14. II 9, 4.

15. I, 11,1 *ὡς ἱστορίᾳ παρειλήφαμεν* — § 2 *ὡς δὲ παρ' ἑτέροις εὕρομεν* - - *λέγουσιν—οἳ μὲν—οἳ δὲ*—§ 3 *φασιν*.

16. I 14,4 *ὡς λόγος*.

de Saturnalibus[17],
de Elagabali sacro lapide[18],
de dea Caelesti Carthaginiensi[19].

Ea autem, quae de Elagabalo et de Dea Carthaginiensi dicit, possumus omittere, quia nullos aliorum scriptorum locos adferre neque Herodiani fontes de eis rebis eruere possumus; praeterea de Urania quae dicit brevissima sunt, Elagabali autem cultum ipse, ut putamus, noverat: persuasum enim habemus Herodianum Syrum vel potius Antiochenum fuisse, qua de re alio loco agemus.

Sed de Magna Matre Pessinuntia uberrime narrat; cum primo loco de origine nominis Pessinuntis disputat, duas explicationes adfert, quarum utraque a Graeco verbo *πεσεῖν* ducitur; quas si cum aliis eiusdem rei auctoribus contuleris, intelleges maxime cum Herodiano convenire Ammianum Marcellinum[20], idque propterea, quod ex Herodiano potissimum hanc fabulam hausit; sed quoniam de Herodiani fontibus hoc loco agitur, Ammiani testimonium nos minime iuvat. In universum autem Herodiani locum spectantibus apparet eum in has partes dividi:

a) *ὡς ἱστορίᾳ παρειλήφαμεν*: de origine nominis Pessinuntis ducta a Magnae Matris simulacro de caelo lapso.

b) *ὡς δὲ παρ᾽ ἑτέροις εὕρομεν*: Pessinuntem nominatam esse quod multi ibi milites cecidissent pugna inter Ilum et Tantalum commissa.

De eius pugnae causa duo auctorum genera Herodianus affert:

α) *Οἱ μὲν περὶ ὅρων* — quos in eis, quos habemus, scriptoribus frustra quaesieris,

β) *οἱ δὲ περὶ τῆς Γανυμήδους ἁρπαγῆς*. In eorum numero

---

17. I 16,1 *φασί*.
18. V 3,5 *σεμνολογοῦσιν - - δεικνύουσιν - - θέλουσιν*.
19. V 6,4 *φασί*.
20. XXII 9, 5—6.

ii quoque habendi sunt, qui famam (λόγος) prodiderunt Ganymedem ibi e conspectu discessisse et ea de causa totam rem ad Jovem tralatam esse.

Deinde ex auctoribus quibusdam (φασίν § 3) incipit de simulacro Magnae Matris Pessinunte Romam traducto referre, qua in historia cum alios fontes non commemoret, unum tantum secutus esse videtur. Quodsi ceteros auctores, qui de hac re scripserunt, consulueris, videbis duas eorum classes existere: altera Scipionem Nasicam simulacrum illud hospitio accepisse tradit, altera de eo tacet; in hac classe sunt praeter Herodianum Suetonius, Arnobius, Julianus[21]. Medii inter eas duas classes sunt Ovidius, Appianus, libellus de viris illustribus[22], qui brevissime et tanquam in appendice Nasicae mentionem faciunt[23]. Quodsi nonnulli viri docti[24] ex eo, quod apud quosdam auctores, velut apud Ovidium, Pessinus non nominatur, iudicaverunt eo argumento auctorum duo genera dividenda esse, hoc nobis non probatur (quamquam nos non fugit Pessinuntem illo tempore vix in Pergamenorum dicione fuisse). Nam eos auctores si lustraveris reperies esse Suetonium, Julianum, Ovidium, Silium Italicum. Quorum Suetonius quidem tam breviter de illa re refert, ut non sit mirum eum de Pessinunte silere; apud Julianum toto loco de Pessinunte oratio est: casu igitur factum esse videtur, ut in simulacro transferendo non aperte urbem illam nominet. Restant igitur Ovidius

---

21. Suet. Tib. c. 2. Arnob. VII 49—50 in. Julianus or. 5, 159 C—160 D.

22. Ovid. fast. IV 255--347. Appian. Hann. 56. de vir. ill. 46.

23. Alterius classis sunt: Livius XXIX 10—11; 14; XXXVI 36, 3—4. Cassius Dio XVII (fr. 57, 61). Plin. N. h. VII 35. Silius Ital. XVII 1—47. Diodor. XXXIV 33, 2. Val. Max. I 1, 1; VIII 15, 3. Jul. obseq. 39. Cic. de har. resp. 12, 26. Qui plerique in eo quoque ob aliis discedunt, quod Claudiam non vestalem, sed matronam dicunt.

24. Bloch Philol. 52, 1893 p. 575—583. Hoffmann Rh. Mus. 50, 1895 p. 93—95. Kuiper Mnemos. 30, 1902 p. 277—306.

et Silius poetae: quis autem in poeta reprehendat nomen aliquod omissum?

Jam ut ad rem redeamus, cum Herodiano maxime consentiunt Ovidius, Appianus, auctor de viris illustribus, Julianus. Et Julianum quidem praetermittamus, quoniam duabus rebus haud levibus a ceteris dissentit[25]. Inter ceteros summam concordiam intelleges: navem limoso vado (Ov. v. 300) sedisse, qua de re et Herodianus et Appianus vocabulo 'ἰλύς' utuntur; de cognatione inter Romanos et Phryges referunt Herodianus et Ovidius (Ovidius regem Pergamenorum appellat, quem in Herodiani libro frustra quaesieris, et addit eum initio preces Romanorum repudiasse, tum demum deae ipsius iussu eis obsecutum esse; quae ab Herodiano omissa nullius momenti sunt). Sed cave credas Herodianum ex Ovidio suam historiam hausisse: nihil enim legitur in Ovidio Claudiam (quod nomen in Herodiano non legitur) zona navem traxisse, quod tradunt praeter Herodianum Appianus (qui non ut Herodianus 'ζώνη' sed 'μίτρα' ponit) et lib. de vir. ill. ('zona'). Cum autem de cognatione Phrygum et Romanorum soli Herodianus et Ovidius nuntient aliaeque res multae accedant[26], eos maxime inter se consentire concedes nec tamen Herodianum ex Ovidio hausisse putabis; credes fieri potuisse, ut Hero-

---

25. Julianus Gallum eundem quem Attin dicit et Claudiam tum demum in suspicionem venisse, cum navis immobilis staret.

26. Exempli gratia initium eius loci adfero, ubi de simulacro Romam tralato tradunt Herodianus et Ovidius:

Her. (I 11, 3): *ἐπεὶ δὲ Ῥωμαίων ηὔξητο τὰ πράγματα, φασὶν αὐτοῖς χρησθῆναι μενεῖν τὴν ἀρχὴν καὶ ἐς μέγα προχωρήσειν, εἰ τὴν Πεσσινουντίαν θεὸν μεταγάγοιεν ὡς αὐτούς.*

Ov. (fast. IV 255 sqq.):

Post ut Roma potens opibus iam saecula quinque
Vidit et edomito sustulit orbe caput,
Carminis Euboici fatalia verba sacerdos
Inspicit; inspectum tale fuisse ferunt:
'Mater abest' cet.

dianus Ovidii fontem adhiberet: quae sententia mox nobis firmabitur.

De origine nominis Pessinuntis vix quicquam apud alios auctores reperies. Nam Lydus[27] quidem Pessinuntem ducit a Graeco verbo *πεσεῖν*, quod sumpsit, ut ipse dicit, e Fenestella et Sisenna, quos Varro secutus est in antiquitatibus rerum humanarum. Sed cecidisse neque simulacrum neque Phryges, sed Gallos dicit: unde colligitur Herodianum ab eo (vel ab eius fontibus) non pendere. Aliud autem veriloquium legimus apud Tzetzem[28]. Is enim tradit Pessinuntem inde dictam, quod Palladium ibi de caelo lapsum sit, eiusque rei auctores esse Dionem et Diodorum; quae explicatio neque in Dionis neque in Diodóri reliquiis servata congruit cum prima Herodianea (quam sub litera a) attulimus) excepto eo, quod Herodianus non Palladium sed Magnae Matris simulacrum significat. Alterum vero nominis veriloquium, cuius auctorem Tzetzes '*ἕτερόν τινα ἱστορικόν*' dicit, ex ipso Herodiano sumptum recte vidit C. O. Müller[29]. — De nominis Pessinuntis origine igitur Herodiani fontem eruere non possumus.

Deae sacerdotes Gallos appellatos esse a Gallo flumine Herodianus quod dicit, cum plerisque antiquis scriptoribus consentit[30] maximeque cum eodem Ovidio[31] (minimi enim momenti est, quod Herodianus non narrat, cur nomen fluminis sacerdotibus inditum sit, ut cuius non interesset longius hanc rem explicare); Ovidium autem cum omnino in fastorum libris tum hoc loco e Verrio Flacco[32] hausisse notum est et declaratur loco Festi p. 95 s. v. Galli[33] (in

---

27. de mag. p. R. III 74. Peter h. R. fr. p. 273.
28. ad Lycophr. 355 (p. 557 M.).
29. Tzetzes ad Lycophr. ed. Müller p. 556 adnot. 22.
30. de Juliano cf. p. 10 adn. 25.
31. fast. IV 361—366.
32. cf. H. Winther 'de fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis.' Diss. Berolini 1885.
33. cf. Winther l. l. p. 24.

Pauli epitoma servato). Duobus igitur iam locis intelleximus Herodianum cum Ovidii fonte quam maxime concordare; tertium paulo infra addemus.

Quod Herodianus Ganymedem a Tantalo raptum et propterea bellum ortum esse dicit, ea quoque in re cum nonnullis auctoribus consentit, a quibusdam discedit. Consentiunt autem cum Herodiano potissimum ei, qui hauserunt ex Varrone (is est Augustinus[34]), aut e Didymo (dico Tzetzem, Eusebium, Syncellum, Orosium[35]), cuius auctor Phanocles poeta fuit. Sed Ovidius hoc loco ab Herodiano dissentit; neque tamen hac re sententia nostra refellitur: nam in metamorphoseon[36], non in fastorum libris narrat Ganymedem a Jove raptum esse. Herodianum autem, qui cum Varrone et Didymo congruit, hoc loco bonum quendam fontem secutum esse apparet; sed quis hic fuerit eius auctor, dicere non possumus; Verrium Flaccum putamus, sed pro certo adfirmare non audemus: verisimile est eum non alium auctorem adhibuisse atque quem bis hoc capite secutus esset. Ne Didymum Herodiani auctorem opiner, impedit, quod ille bellum inter Tantalum et Troem, Herodianus inter Tantalum et Ilum ortum esse dicit, et quod Herodianus Tantalum Lydum, non Phrygem, ut ille, appellat. In dubio igitur hic locus nobis relinquendus est.

Deinde cap. 14 § 4 eiusdem libri Herodianus pauca de Palladio tradit. Quae breviora sunt, quam ut cum aliis auctoribus conferas. Propterea id quoque nullius momenti est, quod Herodianus de priore Vestae aedis incendio tacet, cuius mentionem Ovidius aliique faciunt[37].

---

34. de civ. dei XVIII 13.

35. Tzetz. Antehom. 93 (ad Lycophr. 355 ex Herodiano fluxit; cf. C. O. Müller l. l. p. 556 adn. 22). Euseb. a. Abr. 657. Sync. 305, 11. Oros. I 12, 3—5.

36. X 155—161.

37. Ovid. fast. VI 421 sqq. Cicero pro Scauro 23, 48. Valer. Max. I 4, 5. Dion. Hal. II 66. Plinius N. h. VII 141. Juvenal. 3. 136 sqq.

cap. 16 § 2 de origine nominis Latii Herodianus pauca refert. Qua de re si ceteros rerum scriptores consulueris, duas potissimum nominis explicationes invenies: alteram, quae ad Latinum regem rem redire dicit[38], alteram, quae a vocabulo 'latere' nomen ductum esse vult; huius veriloquii duo sunt genera: alterum Latinos illo loco latuisse[39] putat, alterum Saturnum[40]: idem Herodianus noster narrat. Si igitur reliquos scriptores cum Herodiano comparaveris, rursus intelleges Ovidium maxime cum eo convenire: is enim solus de biformi quoque Jani corpore verba facit[41], idque eadem ratione qua Herodianus. Quare etiam hoc loco Herodianum eundem auctorem quem Ovidium adhibuisse colligitur. Ovidium autem e Verrio Flacco sua hausisse non ideo negabimus, quod in Verrii reliquiis foede mutilatis haec explicatio servata non est.

Haec fere sunt, quae de rebus ad cultum pertinentibus in Herodiani libris — eaque omnia in primo operis libro — leguntur. Quae e Verrio Flacco fluxisse persuasum habemus, non quo putemus eum ipso illius libro usum esse, sed tamen aliqua ratione Verrii doctrinam usurpavit, ut nos quidem conicimus fastis quibusdam vel enchiridio inde derivatis nisus. Quae sententia valde firmatur eo, quod ab aliis quoque auctoribus Verrius Flaccus saepe adhibetur de similibus rebus[42]. Ut in sequentibus libris res ad cultum pertinentes silentio praetermitteret[43], ea re adductus esse

---

38. Varro l. L. V 32. Hygin. fab. 127. Dion. Hal. I 9, 45, 60; II 2. Dio fr. 4,3. Servius ad Aen. VIII 322.

39. Servius ad Aen. I 6 hoc e Saufeio sumptum dicit.

40. Ovidius fast. I 235 sqq. Vergil. Aen. VIII 319—323. Minuc. Felix Oct. 21, 4—6. Servius ad Aen. VIII 322.

41. l. l. 115—132.

42. Macrobius sat. I 6, 15; 10, 7; 12, 15. Lactantius div. inst. 1,20. Serv. ad Aen. VIII 203; XI 143.

43. Vix quisquam ea, quae de Dea Caelesti Carthaginiensi Hero-

videtur, quod senem tempus deficiebat[44]. Non pauci sunt loci, e quibus apparet Herodianum plures auctores in libris componendis adhibuisse; sed uno tantum loco auctoris nomen adfert: libellum Septimii Severi imperatoris de vita sua (II 9, 4) citat de prodigiis; quo loco quamquam Herodianus non aperte dicit se ex illo hausisse, tamen verborum contextus declarat. Recte igitur H. Peter in fragmentis e Severi libro de vita sua servatis hunc locum posuit[45]. Ceteris eiusmodi locis nomina auctorum omittuntur, libri verbis 'φασίν'[46] aut similibus adferuntur. Quibus locis id unum restat, ut iis cum ceteris rerum scriptoribus collatis quaeramus, num quid in iis simile existat. Ac paucis quidem locis Dionem spectare videtur Herodianus[47], qua de re insequenti paragrapho disseremus. Totidem fere locis cum historia Augusta consentire videtur: qui nobis tractandi erunt altero huius opusculi capite, quo de Herodiani auctoritate verba faciemus.

Itaque pauca hoc loco addenda sunt. Libro II c. 5 § 2 Herodianus de Euphrate flumine nonnulla nuntiat, de quibus auctores quosdam citat ('λέγουσιν') nominibus eorum omissis; quorum nomina ne nos quidem adferre possumus, sed auctorem nostrum de Euphrate sententiam inde a

---

dianus V 6, 4 rettulit, hoc loco desiderabit. Nam ea fabula magis ad ipsam historiam pertinet. Sed tamen eodem modo ea, quae verbo 'φασί' introducit, consentiunt cum eis, quae supra disputavimus. Nam etsi in Ovidii fastis nihil eiusmodi legitur — occasio enim deerat — tamen Herodianum veram doctrinam hoc loco reddere e Vergilio (Aen. I 441 sqq. v. 367) elucet; Vergilium autem eis de rebus viros doctos consuluisse verisimile est. De veriloquio vero nominis 'Astarte' id quod Herodianus tradit, nusquam alias legeris, sed ex Etymol. Magno et e Suida s. v. intelleges eum cum grammaticis consentire.

44. De lapide dei Elagabali quae Herodianus tradit, perlustrabimur, ubi Herodianum cum Dione conferemus.

45. Hist. Rom. frm. p. 329 sq. frm. 1.

46. I 11, 3; 16, 1; III 2, 3; 4, 3; 4, 7; IV 8, 8; V 6, 4.

47. I 14, 5—6; III 7, 3—4; 7, 6.

Polybio[48] vulgatam proferre docet Weissbach[49]; communem opinionem etiam in digressu de Britannis[50] facto Herodianus sequitur. — Saepe discordiam auctorum significare videtur vocabulis *εἴτε—εἴτε* vel *ἤ—ἤ*[51]. Quibus de locis vix quicquam dicendum est; sed Daendliker[52] talibus locis nisus de Herodiani in Alexandri rebus enarrandis fontibus gravissimam sententiam protulit, de qua infra per digressum agere in animo nobis est.

Hoc certe ex omni hac disputatione sequitur Herodianum non sola memoria sua nisum esse neque unum tantum rerum auctorem adhibuisse. Nomina auctorum neque praeter Septimium Severum appellat nec praeter Verrium Flaccum ea investigari posse existimamus. — Quare iam aliam viam ingressi Herodiani libros conferemus cum eis, quibus paulo ante eum eorundem fere temporum res conscriptae sunt, — Cassium Dionem dico — ut quaeramus, num qua ratione inter se coniuncti sint.

§ 2. Quae ratio intercedat inter Herodianum et Cassium Dionem.

Johannes Kreutzer[53] recte demonstravit Herodianum cum Cassio Dione in ordine rerum (scilicet in Commodi rebus enarrandis) quam maxime consentire, contra vitam Commodi historiae Augustae scriptoribus insertam longe aliter res ordinavisse[54]. Sed cum inde apparere putaret

---

48. IX 43.

49. Pauly-Wiss. R. E. VI 1200—1206.

50. III 14, 6—8.

51. I 9, 5; 14, 2; 17, 10; III 8, 2; IV 12, 5; 13, 8; V 3, 10; VI 5, 8; 6, 1; 8, 5; VII 1, 8.

52. Carolus Daendliker 'Die drei letzten Buecher Herodians' in Buedinger: 'Untersuchungen zur roemischen Kaisergeschichte' III Lipsiae 1870 p. 203—320.

53. In dissertatione supra adlata p. 15 sqq.

54. l. l. p. 20.

Herodianum Dionem esse secutum, vehementer erravit; nam id unum inde colligitur utrumque scriptorem ordinem temporum servare, vitae auctorem autem Suetonii exemplum imitatum illum ordinem neglexisse. Hoc igitur Kreutzeri argumentum facile refellitur. Atque cum deinde singulas res ab Herodiano traditas examinet, ei videtur scriptor noster Dionem mox adhibuisse, mox seposuisse, causa satis iusta vix addita; saepe etiam in eadem re enarranda putat Herodianum partim Dione usum, partim alio fonte: quod nisi gravissimis de causis concedendum non est; eas a Kreutzero adlatas facere non possum quin negem. Nam quod existimat Herodianum favore quodam motum Commodi historiam deformasse[55], nobis non probatur: eius enim favoris non modo causae, sed etiam vestigia omnino non existunt, quoniam Herodianus Commodum ut turpissimum principem depingit. Maioris autem momenti est, quod Kreutzer demonstravit Herodianum et Dionem in historia conscribenda ab eadem parte stetisse.

Sed qui quaerere volet, quae ratio inter duos scriptores intercedat, ei nostra quidem sententia haec fere spectanda sunt:

1. num scriptores eandem partem secuti sint;
2. num libri eorum aliquot iisque satis gravibus locis ad verbum consentiant, quaque ratione id explicetur: ea res in Dionis libris perquirendis, quippe qui nisi in epitoma servati non sint, magnam difficultatem habet;
3. quae existant discrepantiae et quae sit eorum explicatio.

Neque satis erit unum librum sed omnes quam accuratissime examinare. Quod cum nemo fere fecisse videatur, nostro Marte facere conabimur. Sed tamen ne nimis longa fiat oratio, gravissimos tantum adferemus eosque locos, qui clarissime ostendent scriptorum vicissitudinem vel aliquam praebebunt difficultatem.

---

55. l. l. p. 22; 37 sq.

Atque id primum monemus Herodianum et Dionem saepe de rebus quibusdam vel solos referre vel solos aliter atque ceteros auctores[56]. Ac non solum singulis locis haec apparet consensio, sed etiam in totis capitibus. Velut de Commodi natura atque indole adeo a ceteris auctoribus discedunt, ut soli eum initio bonum fuisse, deinde adulatione aulicorum corruptum adfirment (Her. I 6, 1; 7, 1; 8, 1 — Dio 72, 1, 1), cum reliqui eum a prima pueritia pessimum fuisse dicant (v. Comm. 1, 7; 2, 6 sqq.; lib. de Caes. XVII 1; epitome de Caes. XVII 1—3; Eutropius VIII 15 'nihil paternum habuit').

Her. I 12, 1—2 — Dio 72, 14, 4—5 urbem Romam Commodo imperante peste vexatam esse tradunt, de qua ceteri rerum auctores tacent.

Her. I 13 — Dio 72, 13 (anno p. Chr. n. 189) dicunt famem magnam fuisse, quae causa fuerit Cleandri necandi; famem Romae fuisse Commodi temporibus v. Commodi 14, 1—3 commemorat, sed cum Cleandri interitu non coniungit; bona autem pars eius vitae inopiam frumenti ignorat[57].

Her. I 14 — Dio 72, 24 incendium Romae ortum[58], quod desideratur in vita Commodi (legitur apud Orosium VII 16, Eusebium, in Chronico Paschali, apud Georgium Syncellum); praeterea de incendio loquitur Galenus (Medicorum Graecorum opera ed. Kühn XIX 21; XIX 19; XIV 66 cet; cf. Ilberg Rh. Mus. 44, 1889 p. 211 sqq). Notandum est et Herodianum et Dionem illud incendium in prodigiis mortis Commodi numerare.

---

56. cf. Kreutzer l. l. p. 20 adn. 3.

57. cf. J. M. Heer 'Der historische Wert der vita Commodi in der Sammlung der Scriptores historiae Augustae' in Philologi Suppl. IX 1 p. 83 (Lipsiae 1901).

58. cf. Paulus Werner 'de incendiis urbis Romae aetate imperatorum'. Diss. Lipsiae 1906 p. 36 sqq.

Her. I 15 — Dio 72, 17 sqq. de ludis gladiatoriis uberius tradunt quam reliqui fontes.

Commodi caedem Herodianus I 17 aliter narrat ac Dio 72, 22, 4—6, sed maxime convenit cum eis, quae de Domitiano interempto tradit Dio 67, 15. Quo de loco diversa iudicaverunt ii, qui his annis de iis locis egerunt (Heerum et Schulzium dico) atque qui ante eos (Zürcher p. 249; Peter Gesch. Lit. II 291; Ranke Anal. 352; Kreutzer 36 adn. 2; Ceuleneer 29 adn. 1; Klebs Rh. Mus. 43, 341 adn. 3). Nam cum hi Herodiani narrationem aut totam abicerent aut ex illo Dionis capite per errorem huc translatam putarent, illi (Heer 'Histor. Wert' p. 113 sq; Otto Th. Schulz 'Das Kaiserhaus der Antonine und der letzte Historiker Roms' Lipsiae 1907 p. 199) Dionis locum turbatum et Herodianum de Commodi morte vera prodere existimant. Qua de re hoc loco iudicium ferre dubitamus, sed ubi de ratione, quae inter Dionem et Herodianum intercedat, satis quaesiverimus, facile haec difficultas explicabitur.

Quod Herodianus II 2, 4 et Dio 73, 3, 4 de avaritia Pertinacis silent, quam ei crimini dat v. Pert. 3, 1—4, nullius momenti est, quoniam a bono eius vitae fonte illud vitium alienum est; cf. Schulz 'Beitraege' p. 10sq.; p. 124sq.; videas praeterea v. Pert. 13, 4; lib. de Caes. XVIII 1 eum 'immodice parcum' dicit; cf. epit. de Caes. XVIII 5.

Her. II 2, 9—10 — Dio 73, 1, 2—3 Pertinacem Commodi interficiendi conscium fuisse nesciunt (aliter v. Pert. 4,4). Sed Dio 73, 1, 2 et v. Pert. 7, 5; 11 tradunt Pertinacem militibus magnum donativum distribuisse, quod Herodianus omittit; id tamen nullius fere momenti est: Herodianum enim hoc loco favore quodam Pertinacis ductum et eo consilio, ut eum a Juliano plane differre ostenderet, rem immutasse recte demonstravit Fuchs Wiener Studien 17, 1896 p. 247.

Her. II 6 — Dio 73, 11—12 Julianum imperium tan-

quam in auctione magno pretio emisse tradunt, a quibus dissentit v. Jul. 2, 4—7. — Non solum ex hac re, sed ex tota Juliani imperii narratione apparet Herodianum et Dionem ab eadem parte stare, senatoriam dico. Sed de hac re uberius infra agemus.

Her. II 6, 11 — Dio 73, 12, 1. Juliano a praetorianis Commodi nomen datur (vita Juliani c. 2, 6 hoc ignorat, sed dicit eum promisisse se Commodi memoriam restituturum, quod in Herodiano quoque legitur).

Her. II 9, 7 sqq. — Dio 73, 14. Severus ipse efficit, ut a militibus imperator appelletur, non, ut vult v. Sev. 5, 1 'multis hortantibus repugnans' imperatoris nomen accipit[59].

Her. II 13 — Dio 74, 1 uberrime narrant, qua ratione Severus praetorianos armis exuerit, quod perpaucis refert v. Sev. 6, 11. Sed Schulzio[60] assentimur vitae locum ab epitomatore mutilatum esse; quod vero dicit Herodiani narrationem fide indignam esse, nobis non probatur.

Her. II 14, 1—2 — Dio 74, 1, 3—5. Severi in urbem Romam introitus (quem brevissime prodit v. Sev. 7, 1).

Her. II 15, 2 — Dio 73, 15, 1—2. Severus Clodium Albinum eo consilio Caesarem dicit, ut ipse cum Pescennio Nigro in Oriente bellum gerens in Occidente pace uteretur; v. Nig. 4, 7; v. Alb. 3, 4 tradunt Severum id re vera in animo habuisse, ut Albinus (vel Niger) sibi succederet: hoc historiae Augustae scriptores (vel Marium Maximum, cf. Alb. 3, 4) e Severi de vita sua libro sumpsisse locus citatus in v. Nigri declarat; cf. Carolus Fuchs 'Geschichte des Kaisers L. Septimius Severus (Untersuchungen aus der alten Geschichte 5)' Vindobonae 1884 p. 40.

Her. III 2—4—Dio 74, 6—8 de bello cum Nigro gesto Herodianus et Dio longe alia tradunt atque historiae Augustae scriptores, qui Nigrum ad Cyzicum necatum dicunt; idem habent lib. de Caes. 20, 9; Eutrop. VIII 18; Oros. VII 17, 2:

59. De re ipsa cf. Domaszewski Rh. Mus. 53 p. 638.
60. 'Beitraege' p. 38.

hoc loco soli Herodianus et Dio recte habent Nigrum Aemiliano ad Cyzicum victo a Severi exercitu ad Nicaeam, deinde ad Issum fusum atque fugatum esse. Deinde Nigrum prope Antiochiam interfectum dicunt Her. III 4, 6—7 in.—Dio 74, 8, 3. Tum de Byzantio a Severi copiis expugnato et Perinthiis permisso ceteri auctores tacent, non tacent Her. III 6, 9—Dio 74, 14, 3.

Her. III 5, 2—Dio 75, 4, 1 quibus causis Severus adductus sit, ut Albino bellum indiceret. De bello quoque ipso solos Herodianum et Dionem fide digna referre, reliquos auctores officio deesse recte iudicavit Hirschfeld Hist. Ztschr. 79 (43), 1897 p. 469. Ad Lugudunum proelio decertatum esse eoque in proelio Severum in magnum periculum incidisse soli nuntiant.—v. Sev. 11, 1 apud Tinurtium proelium commissum esse tradit; cf. Hirschfeld l. l. p. 479. —v. Alb. 12, 3 in alio rerum conexu dicit Albinum ad Lugudunum interfectum esse: qui locus ex Herodiano sumptus videtur (aliam sententiam de eo loco protulerunt Schulz 'Beitraege' p. 80; p. 128. Lécrivain[61] p. 257; — nostram Höfner p. 205; v. infra). — Notandum est Herodianum de pugna Lugdunensi plures fontes inspexisse, cf. III 7, 3 *ἅς δέ τινες τῶν τότε ἱστόρησαν, οὐ πρὸς χάριν ἀλλὰ πρὸς ἀλήθειαν λέγοντες* (Severum ipsum fugisse); hoc loco auctor eos vituperat, qui Severo faventes rem deformaverint aut de eius fuga tacuerint, in quibus Dio quoque est, quem e Severi vel literis ad senatum datis vel libro de vita sua hausisse verisimillimum est; cf. Fuchs 'Severus' p. 64 n. 4; Hirschfeld l. l. p. 481. — De Laeti proditione soli loquuntur Herodianus et Dio, sed v. Sev. 11, 2 eundem spectare videtur.

Her. III 7, 8—Dio 75, 8, 1 Severus cum Mario Sulla aliis comparatur. Id ex epistula, quam Severus Albino victo Romam ad senatum miserat, fluxisse videtur. Dionem

61. 'Études sur l'histoire Auguste' Paris 1904.

enim ipsum hanc epistulam legisse putamus, Herodianum aliqua ratione notitiam eius habuisse vel e fonte suo sumpsisse.

Her. III 8, 1—Dio 75, 7, 4 Severus caput Albini Romam mittit.

Her. III 9, 3—8—Dio 75, 9, 4 Atra a Severo frustra oppugnantur. Reliqua Herodiani de bello Parthico testimonia valde turbata sunt; eius rei causam non esse levitatem fontis Herodiani, sed ipsius auctoris neglegentiam, quae maxime in rebus geographicis et chronologicis ei obicienda est, hic locus declarat; cf. Sievers Philol. 31 p. 657 sqq. LVII. Kreutzer p. 13 sq. Fuchs 'Severus' p. 79 n. 4; Wiener Studien 17 p. 249 sq; 18 p. 229 sqq.

Her. III 10, 7—12, 12—Dio 75, 14—76, 7 uberrime ac simillime de Plautiani potentia, moribus, interitu referunt, quae brevissime leguntur v. Sev. 14, 5; 7—9. v. Car. 1, 7; cf. I. I. Mueller[62] p. 154. Hoefner p. 278 sqq. Fuchs 'Severus' p. 91—104.

Her. III 13, 1—Dio 76, 17, 1 Severus iuri dicundo magnopere operam dat.

Her. III 13, 2—Dio 76, 7, 1 filii Severi Plautiano interempto exsultant.

Her. III 14, 2—Dio 76, 11, 1 Severus Britannicum bellum ea potissimum de causa suscipit, ut filiorum mores, quos pessimos videt, corrigat.

Her. III 14, 6—8—Dio 76, 12 sq. nonnulla de Britanniae situ et incolis referunt. Neque Dio neque Herodianus dicunt Eboraci Severum mortuum esse, quod oppidum nominant praeter historiae Augustae scriptores Aur. Vict. de Caes. XX 27; Eutrop. VIII 19; Oros. VII 17, 8; Hieron. II p. 175 S; Cassiodor. Chron. p. 145 M.

Her. III 15, 5—Dio 77, 1, 3 Caracalla Getam fratrem necare ab exercitu prohibetur.

———————

62. 'Der Geschichtsschreiber Marius Maximus' in Buedinger, Untersuchungen III p. 1—202.

Her. IV 1 — Dio 77, 1, 3 De filiorum Severi Romam redeuntium dissensione.

Her. IV 2, 2 sqq. — Dio 74, 4—5 uberrime de funere imperatorio narrant. Sed Dio de funere Pertinacis a Severo, Herodianus de Severi a filiis instituto loquitur; v. infra.

Her. IV 4, 3 — Dio 77, 2, 2—6 Geta ad sinum Juliae matris a fratre necatur. Herodiani locus[63], quamquam mutilatus, tamen ad verbum fere cum Dione consentit; v. Car. 2, 4 breviter caedem narrat.

Her. IV 4, 3 f.—8 — Dio 77, 3, 1—2 Caracalla post fratris necem in castra praetorianorum currit et se fidei eorum permittit; v. Car. 2, 4 sq. rem turbat.

Her. IV 6, 3 — Dio 77, 16, 6[a] Commodi soror a Caracalla necatur. Praeterea Herodianus nonnullos a Caracalla interfectos nominat, qui in Dionis epitoma desiderantur. Sed id nullius momenti est, quoniam Xiphilinus ipse 77, 6, 1 fatetur se multos, quos post Getae caedem interfectos Dio dixerat, omisisse.

Her. IV 6, 4 — Dio 77, 16, 1—3 Caracalla in virgines Vestales graviter consulit.

Her. IV 7, 4 sqq. — Dio 77, 13, 1—2 Caracalla apud milites ut commilitonem se gerit.

Her. IV 8, 2 — Dio 77, 7, 1—2 Caracalla phalangem Macedonicam instituit.

Her. IV 8, 3—4 — Dio 77, 16, 7—8 Caracalla Pergamum Iliumque visit. Num Caracalla primum Pergamum, deinde Ilium venerit, ut dicit Herodianus, diiudicari vix potest, cum Dio alium ordinem habeat. P. de Rhoden in Pauly-Wissowa R. E. II 2448, 47 putat Caracallam valetudinis causa primum Pergamum iter fecisse.

Her. IV 8, 6 sqq. — Dio 77, 18 sqq. Caracallae iter Alexandrinum.

63. Lacunam supplere viri docti frustra conati sunt; cf. F. Ritschl Rh. Mus. 13, 1858 p. 157 sqq. = opusc. I p. 541 sqq. J. Huemer W. St. 6, 1884 p. 320 sqq.

Her. IV 9, 1—3 — Dio 77, 22, 1 quibus de causis Caracalla in Alexandrinos iratus fuerit.

Simillima ratione iisdemque verbis uterque scriptor tradit de caede Alexandreae a Caracalla facta; cf. M. Bang Herm. 41, 1906 p. 623 sqq. — v. infra.

Her. IV 10, 1 — Dio 78, 1, 1 Caracalla filiam Artabani, Parthorum regis, uxorem ducere vult.

Her. IV 12—13 — Dio 78, 4—6 de Caracallae caede eadem fere referunt: de epistula a Materniano ad Caracallam data, de Caracallae itinere (ubi Herodianus eum Carrhis Edessam, Dio Edessa Carrhas iter facientem facit) aliisque de rebus plane congruunt. v. Car. bis caedem eius nuntiat, 6, 6—7 et 7, 1—2 multis rebus (velut epistula illa) omissis.

Her. IV 13, 8 — Dio 78, 23, 6 Julia Domna per inediam e vita discedit.

Her. IV 14, 3—15, 9 — Dio 78, 26, 2—27, 3 de Macrini bello Parthico.

Usque ad hunc locum igitur pertinent argumenta, quibus effici putamus Herodianum et Dionem eiusdem, ut ita dicam, familiae inter historicos esse.

Inde quaestio oritur, num Herodianus et Dio aliquo artiore vinculo inter se coniuncti sint. Neque enim quemquam fugere potest eos haud raro, etiam iis locis, ubi in universum convenire videntur, singulis in rebus inter se dissentire. Tamen videtur non casu factum esse, ut tam saepe, quam supra vidimus, soli de rebus satis gravibus referant, quoniam locis non paucis etiam ad verbum congruunt. Quare eos locos, quibus talis consensio ostenditur, iam colligamus, ut intellegatur, qua ratione inter se cohaereant auctores. Ac primum Herodiani librum, ut supra commemoravimus, cum Dione diligenter comparavit I. Kreutzer[64]. Qui cum Herodiani fontem ipsum eruere

---

64. cf. p. 6 n. 4.

studeret, iudicavit Herodianum mox Cassio Dione mox Mario Maximo usum esse; qua de sententia iam satis supra diximus[65]. Hoc loco addimus nos Kreutzerum, ubi Herodianum cum Cassio Dione comparat, secuturos, ea, quae de cognatione eorum existimavit, improbaturos esse. Sed de primo libro brevius agemus, quoniam ex eo non apparere putamus id, quod quaerimus. Breviter igitur locos, quos diximus, colligemus:

De Lucillae coniuratione[66] conferas, quomodo Lucilla adulescenti illi persuaserit, ut Commodum necaret:

Her. I 8, 4:	Dio 72, 4, 5:
ἡ Λουκίλλα . . . τὸν μὲν αὑτῆς ἄνδρα Πομπηιανὸν εἰδυῖα ἀγαπῶντα τὸν Κόμοδον, οὐδὲν αὐτῷ . . ἀνακοινοῦται, Κοδράτου δὲ . . . πεῖραν τῆς γνώμης λαμβάνουσα . . ., καὶ κατ᾽ ὀλίγον ἀνέπεισε τὸν νεανίσκον ὀλέθρια βουλεύσασθαι αὑτῷ τε καὶ πάσῃ τῇ συγκλήτῳ.	*ἡ γὰρ Λουκίλλα . . . ἤχθετο μὲν τῷ ἀνδρὶ αὑτῆς τῷ Πομπηιανῷ· ὅθεν καὶ ἀνέπεισε τὸν εἰρημένον ἐπιθέσθαι τῷ Κομμόδῳ, καὶ αὐτόν τε ἀπώλεσε καὶ αὐτὴ φωραθεῖσα ἐπανῃρέθη.*

Quo loco id maxime respiciendum est ad illud ʽ*ἀνέπεισε*ʼ, quod in utroque scriptore legitur, adiungi Lucillam ita et illum et se (vel senatum) pessum dedisse. Neque tamen hic locus magni momenti est. De insidiis autem Commodo paratis legitur:

Her. I 8, 6:	Dio 72, 4, 4:
ὁ δ᾽ ὑποστὰς ἐν τῇ τοῦ ἀμφιθεάτρου ἐσόδῳ (ζοφώδης δὲ αὕτη, διὸ καὶ λήσεσθαι ἤλπισε),	*ἐσιόντι δὲ ἐς τὸ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν Κλαύδιος Πομπηιανὸς ἐπεβούλευσε· ξίφος γάρ*

65. p. 15 sq.

66. Quoniam Herodianus et Dio multis iisque gravibus rebus dissentiunt, Kreutzer p. 24 sqq. putavit Herodianum ʽDione seposito ex alio quodam fonte et eo valde perturbato hausisseʼ. Quam difficultatem infra dissolvi posse speramus.

γυμνώσας τὸ ξιφίδιον, ἐπελθών τε αἰφνιδίως τῷ Κομόδῳ, καὶ μεγάλῃ βοῇ προειπὼν ὑπὸ τῆς συγκλήτου αὐτῷ ἐπιπεπέμφθαι.

τι ἐν αὐτῇ τῇ τῆς ἐσόδου στενοχωρίᾳ ἀνατείνας ʻἰδοὺʼ ἔφη ʻτοῦτό σοι ἡ βουλὴ πέπομφενʼ.

Hic maxime animadvertimus eandem verborum compositionem, etiamsi in vocabulis usurpatis consensus non adeo magnus est.

Deinde de Cleandro praef. praet. simillima tradunt[67]:

Her. I 12, 3—4:

. . Κλέανδρός τις ἦν . . τῶν δημοσίᾳ εἰωθότων ὑπὸ κήρυκι πιπράσκεσθαι· οἰκέτης δὲ βασιλικὸς γενόμενος . . . ἐς τοσοῦτον ὑπʼ αὐτοῦ τιμῆς καὶ ἐξουσίας προήχθη ὡς τήν τε τοῦ σώματος φρουρὰν καὶ τὴν τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν τήν τε τῶν στρατιωτῶν ἀρχὴν ἐγχειρισθῆναι . . .

ἀθροίζων δὲ χρήματα . ., μέγιστον δὲ γυμνάσιον κατασκευάσας καὶ λουτρὸν δημόσιον ἀνῆκεν αὐτοῖς.

Dio 72, 12,1—13,2:

ὁ δὲ δὴ Κλέανδρος ὁ μετὰ τὸν Περέννιον μέγιστον δυνηθεὶς καὶ ἐπράθη μετὰ τῶν ὁμοδούλων, μεθʼ ὧν καὶ ἀχθοφορήσων ἐς τὴν Ῥώμην ἐκεκόμιστο, χρόνου δὲ προϊόντος οὕτως ηὐξήθη ὥστε καὶ τοῦ Κομμόδου προκοιτῆσαι, . . . ἠργυρολόγει μὲν οὖν πανταχόθεν, . . . πολλὰ δὲ καὶ ἐς οἰκίας καὶ ἐς βαλανεῖα ἄλλα τέ τινα χρήσιμα καὶ ἰδιώταις καὶ πόλεσιν ἐδαπάνα.

Ubi animadvertimus utrumque scriptorem eundem rerum ordinem adhibere:

a) Cleander servus est,

b) in palatium venit, cubicularius et praef. praet.[68] Commodi fit (forma quoque eadem apud utrumque scriptorem est: ἐς τοσοῦτον . . προήχθη ὡς (Her.); οὕτως ηὐξήθη ὥστε (Dio)),

c) divitias ingentes congerit,

d) aedificia publica exstruit.

---

67. cf. Kreutzer p. 32 sqq.

68. Id Dio significat verbis ʻμέγιστον δυνηθείςʼ.

Herodianum igitur cum Dione, ubi de Cleandri origine, potentia, avaritia lòquuntur, quam maxime consentire luce clarius est; sed vix credes eum Dioni sua debere; nam cum aliis ab eo discedit tum eis, quae sequuntur de fame Romae orta et de Cleandri nece. Nam cum Herodianus tradat Cleandrum frumenta undique coemisse, ut inopia valde aucta magno pretio venderet, Dio narrat non eum haec fecisse, sed dolum Papirii Dionysii[69] fuisse, qui ea ratione odio plebis excitato Cleandrum perdere voluisset. Quae qui reputaverit, non putabit hoc loco demonstrari Herodianum e Dione hausisse; neque tamen credet inter utrumque scriptorem nihil commune interesse propter consensionem, quam intelleximus in eis quae antecedunt. Conicias igitur fontem quendam extitisse, ex quo et Dio et Herodianus hauriebant; quae opinio firmabitur, si Dionis narrationem propius respexeris. Nam quae in Dionis libro leguntur, apud Herodianum desiderantur, haec fere sunt[70]:

1. de Demostratia concubina,
2. de Saotero Nicomedensi honoribusque ei Nicomediae institutis,
3. de locis senatoriis honoribusque populi Romani a Cleandro venditis et de viginti quinque consulibus uno anno creatis,
4. de Papirio Dionysio.

Quarum rerum primam ut levissimam omittamus. Ceterae autem eiusmodi sunt, ut eas a Dione facile addi potuisse clare perspiciatur. Quod enim de Saotero Nicomedensi plura profert, memineris Dioni ut homini Nicaeensi maiori curae fuisse fortunam et honores popularis sui enarrare

---

69. cf. Sievers Philol. 26, 42 sq. IX.

70. Si quo loco Herodianus plura tradit quam apud Dionem legimus, inde nihil efficitur, quoniam Dionis historiam nisi epitomatam non habemus; quare nos talia silentio praeterimus, exceptis eis locis, quos integros ab epitomatore exscriptos esse apparet.

eique ea nota fuisse, quae alii vix scire poterant. De ceteris autem rebus moneo Dionem et senatorem fuisse et Romae vixisse: dignitatem senatus populique Romani a libertino violatam quod graviter tulerit quis miretur? Atque de Papirii Dionysii dolo quae tradit si contuleris cum eis, quae de Plautiani interitu narrat, intelleges eum penitus res Romae gestas novisse: ut hic dolum Papirii Dionysii cognovit, ita ibi dolum Caracallae, quem aeque Herodianus ignorat. (Dio 76, 3—4 — Her. III 12.)

De Commodi morte quae tradit Herodianus, quamquam consentire videntur cum Dionis narratione de caede Domitiani, tamen difficultatibus, quas supra[71] memoravimus, cogimur ad finem disputationis remittere.

E secundo Herodiani libro iam magis apparebit id quod quaerimus.

Ac primum quidem magnam scriptorum consensionem videmus, ubi de populo post Commodi mortem compertam laetitia exsultante verba faciunt (Her. II 2, 3—4—Dio 73, 2); imprimis Herodiani § 4 paene verbotenus cum Dione convenit:

Her. II 2, 4.

ἐβόων δὲ διάφορα, οἳ μὲν κεῖσθαι τὸν τύραννον λέγοντες, οἳ δὲ τὸν μονομάχον, ἄλλοι δὲ ἀπρεπέστερα βλασφημοῦντες· καὶ ὅσα πρότερον ἐπεῖχεν ὁ φόβος ῥήματα, ταῦτα προελθούσης ἀδείας καὶ ἐλευθερίας ῥαδίως ἐλέγετο.

Dio 73, 2, 2—4.

οὐδὲν ὅ,τι οὐκ ἐπιλέγοντες. Κόμμοδον μὲν γὰρ οὐδεὶς οὐδ' αὐτοκράτορα αὐτὸν ὠνόμαζεν, ἀλιτήριον δέ τινα καὶ τύραννον ἀποκαλοῦντες προσετίθεσαν ἐπισκώπτοντες τὸν μονομάχον, τὸν ἁρματηλάτην, τὸν ἀριστερόν, τὸν κηλήτην . . . . τοῦ μὲν γὰρ ἀπηλλαγμένοι, τὸν δὲ οὐδέπω φοβούμενοι, τό τε διὰ μέσου αὐτῶν ὡς ἐλεύθεροι ἐκαρποῦντο, καὶ ἀξίωμα παρρησίας ἐν τῷ ἀδεεῖ αὐτοῦ ἐλάμβανον.

71. p. 18.

Hic non solum idem rerum ordo apud utrumque est:
a) convicia populi in imperatorem mortuum,
b) causa superbiae plebis,
sed etiam verbis plane iisdem uterque scriptor utitur: *-τύ ραννος, μονομάχος, ἀπρεπέστερα* (i. e. *ἀλιτήριος, ἀριστερός, κηλήτης*); causa est *ἄδεια* et *ἐλευθερία,* quae apud Dionem adiectivorum forma leguntur: *ἐλεύθεροι, ἐν τῷ ἀδεεῖ;* quae vero Herodianus dicit *ὅσα πρότερον ἐπεῖχεν ὁ φόβος ῥήματα,* eadem sunt in Dione *τοῦ μὲν γὰρ ἀπηλλαγμένοι, τὸν δὲ οὐδέπω φοβούμενοι.*

Minoris momenti sunt, quae de Pertinace et barbaris apud scriptores nostros leguntur:

Her. II 2, 8:	Dio 73, 6, 1:
τό τε βάρβαρον οὐ χρήμασιν ἔτι θεραπεύσομεν, πείρᾳ δὲ ὧν πρὸς αὐτοῦ πεπόνθασι στρατηγοῦντος φόβῳ ὑποτάξονται.	*βαρβάρους γοῦν τινας χρυσίον παρ᾽ αὐτοῦ* [scil: *τοῦ Κομμόδου*] *πολὺ ἐπ᾽ εἰρήνῃ εἰληφότας μεταπεμψάμενος* [*ὁ Λαῖτος*] . . . *εἰπὼν αὐτοῖς . . . ᾔδεσαν γὰρ καὶ πάνυ τὸ ὄνομα αὐτοῦ* [*τοῦ Περτίνακος*] *ἐξ ὧν ἐπεπόνθεσαν ὅτε μετὰ τοῦ Μάρκου ἐστρατεύετο.*

Nam etsi et res et verba (*πεπόνθασι πρὸς αὐτοῦ στρατηγοῦντος*) eadem sunt, tamen in alia rerum coniunctione apud utrumque leguntur. Tamen vel alterum ex altero sumpsisse et in alium locum transposuisse vel utrumque e tertio quodam fonte hausisse et alterum coniunctionem mutasse credibile est, pro certo nihil adfirmaverimus.

Deinde simillima est eorum narratio, quomodo Pertinax filium educaverit:

Her. II, 4, 9:	Dio 73, 7, 2—3:
καὶ τὸν αὐτοῦ υἱὸν ἤδη μειράκιον ὄντα μηδὲ ἐς τὴν βασίλειον αὐλὴν ἀναγαγεῖν, ἀλλ᾽ ἔν τε	*καὶ τὸν υἱὸν παιδίον ἔτι ὄντα οὐκ ἠθέλησε, πρὶν παιδευθῆναι, τῷ τε ὄγκῳ καὶ τῇ ἐλπίδι*

τῇ πατρῴᾳ μένειν οἰκίᾳ καὶ ἐς τὰ συνήθη προϊόντα διδασκαλεῖα καὶ γυμνάσια ἰδιωτεύοντα ὁμοίως τοῖς λοιποῖς παιδεύεσθαί τε καὶ πάντα πράττειν, οὐδαμοῦ τῦφον ἢ πομπὴν παρεχόμενον βασιλικήν.

τῇ ἐκ τοῦ ὀνόματος διαφθαρῆναι. ἀλλ' οὐδ' ἐν τῷ παλατίῳ αὐτὸν ἔτρεφεν, ἀλλὰ . . . καὶ παρὰ τῷ πάππῳ διαιτᾶσθαι αὐτὰ ἐκέλευσεν, . . .

Hoc quoque loco non desunt leviores discrepantiae (velut de filia, quam brevissime memorat Dio, plane tacet Herodianus), quibus tamen non deletur scriptorum cognatio.

De Pertinacis imperio vero idem iudicium ferunt auctores nostri verbis quoque iisdem usi:

Her. II 4, 1:
ἔς τε τὸ κόσμιον καὶ εὔτακτον μετάγειν πάντα ἐπειρᾶτο.

Dio 73, 5, 1:
καὶ εὐθὺς ἐς κόσμον, ὅσα πρὶν πλημμελῶς εἶχε καὶ ἀτάκτως, καθίστατο.

Hoc loco paulum subsistamus. Adhuc singulos tantum locos collegimus, quibus apparebat

a) Herodianum et Dionem saepe de iisdem rebus eadem referre, ubi alia habent ceteri rerum scriptores,
b) locis non adeo paucis (nam primum tantum et priorem secundi libri partem disquisivimus) eos etiam iisdem verbis uti.

Unde sequitur inter eos, ut ita dicam, cognationem quandam existere. Sed quae sit ea cognatio ut intellegamus, aliquantam partem libri secundi Herodianei scrutabimur; ad quod maxime idoneus videtur is locus, ubi narrat Pertinacem a militibus occisum et Julianum imperatorem appellatum esse: hoc enim loco Herodianum et Dionem in eodem errore versari videmus[72], id quod gravissimum cognationis argumentum esse notum est[73].

---

72. cf. p. 18 sq.
73. cf. Heer l. l. p. 131.

Jam id praemittimus (quod leve esse concedimus) eadem fere apud utrumque legi, cur praetoriani Pertinacis imperium graviter tulerint:

Her. II 4, 4:	Dio 73, 8, 1:
κωλυόμενοι γὰρ ἁρπάζειν τε καὶ ὑβρίζειν (cf. Her. II 5, 1).	*ἐπεὶ οὖν οὔτε τοῖς στρατιώταις ἁρπάζειν οὔτε τοῖς Καισαρείοις ἀσελγαίνειν ἔτι ἐξῆν.*

Si vero illam partem libri Herodianei, quam supra diximus, cum Dione contulerimus, inde apparere putamus et Herodianum et Dionem ex uno eodemque fonte hausisse. Quamquam ea quaestio satis difficilis est, quoniam Dionis libri valde obtruncati sunt, Herodiani vero, quippe qui ad Graecos lectores spectaret[74], non intererat res Romae actas diligenter referre[75]; praeterea, cum arti rhetoricae studeret, non raro deformavit res, ut lectorem delectaret[76]; hoc loco Pertinaci favet, Julianum odit eaque de causa alterum ab alterius moribus plane alienum docere vult, cf. Fuchs l. l. 17 p. 229 sqq. Ita fere discrepantiae, quae inter Dionis et Herodiani narrationem existunt, explicantur. — Qua in re tamen non id agimus, ut demonstremus eos nullum alium auctorem praeter illum communem adhibuisse; quod qui contendere vellet, stulte faceret; satis enim multis locis supra[77] intelleximus Herodianum plures fontes inspexisse, Dionem vero, senatorem et bis consulem, ex alio auctore totam historiam suam exscripsisse quis est qui credat? Cur vero negemus Herodianum ipsum e Dione hausisse (id quod voluerunt Höfner et Kreutzer l. l.), hoc loco satis comparere putamus. Jam ad rem ipsam accedamus:

Cum de causis, quibus praetoriani adducti sint, ut a

---

74. Her. I 11, 1.
75. Her. II 15, 7.
76. cf. Fuchs W. St. 17 p. 222 sqq. 18 p. 180 sqq.
77. p. 6 sq.; p. 20.

Pertinace deficerent, cum Dione ut supra vidimus consentiat Herodianus[78], plane ignorat, cur praetoriani caedem imperatoris susceperint: subito nullo expectante ad palatium cucurrisse praetorianos dicit. Contra Dio antea de Laeti a Pertinace defectione et de Falcone loquitur ita, ut, qui Dionis narrationem noverat, haec in caede Pertinacis enarranda praeterire vix posset. Sed quas causas fuisse dicit Dio, cur Falconem imperatorem appellare voluissent praetoriani, easdem Herodianus causas Pertinacis occidendi fuisse dicit. Unde sequitur in eo fonte, quem adhibuit Herodianus, aut nihil aut non multum, ut neglegere posset, fuisse: tam longam enim narrationem, quam prodit Dio, Herodianum omisisse credibile non est. — cap. 5 § 2 Herodianus incipit caedis ipsius narrationem. Praetoriani — Dio ducentos, v. Pert. 11, 1 trecentos dicunt, Herodianus omnes spectare videtur[79] — subito meridie ad palatium currunt (de cursu eorum similia habent Dio et Herodianus:

Her. II 5, 2:	Dio 73, 9, 2:
τά τε δόρατα διατεινάμενοι καὶ τὰ ξίφη σπασάμενοι.	*ἐς τὸ παλάτιον τὰ ξίφη ἀνατετακότες ὥρμησαν*).

De improviso in palatium irrumpunt, sed cum Herodianus putet custodes eos retinere non potuisse, Dio scit eos ultro portas patefecisse. Pertinax de impetu eorum certior fit; qua in re iterum inter se dissentiunt Dio et Herodianus: nuntium ei adferunt '*τινὲς τῶν εὐνοούντων*' (Her.) vel '*ἡ γυνὴ αὐτοῦ*' (Dio): de ea difficultate infra agemus. Imperator, ne quid se indignum faciat, fugere vel se occultare non vult, sed praetorianis obviam it; qua id ratione fecerit, iisdem verbis dicunt scriptores nostri:

---

78. cf. J. J. Mueller p. 143 n. 1.

79. Quod hoc loco omnes praetorianos caedis Pertinacis conscios dicit, postea c. 12 sq. omisisse videtur Severum Pertinacis interfectores morte multasse, id quod tradit Dio 73, 17, 3; 74, 1, 1.

Her.:	Dio:
ἐλπίσας πείσειν τε αὐτοὺς καὶ παύσειν τῆς ἀλόγου ὁρμῆς.	*ἐλπίσας καταπλήξειν αὐτοὺς ὀφθεὶς καὶ πείσειν ἀκουσθείς.*

Rebelles conspectu[80] eius moventur:

Her.:	Dio:
ἤδη τινὰς αὐτῶν πείσειν ἔμελλεν καὶ οὐκ ὀλίγοι γε ἀποστραφέντες ἀνεχώρουν, σεμνοῦ βασιλέως γῆρας αἰδούμενοι.	*ᾐδέσθησαν . . . καὶ τούς τε ὀφθαλμοὺς ἐς τὸ δάπεδον ἤρεισαν καὶ τὰ ξίφη ἐς τοὺς κουλεοὺς ἐναπέθεντο.*

De caede Pertinacis igitur plane congruunt Dio et Herodianus, adeo ut saepe eadem vocabula usurpent, — exceptis duabus rebus:

a) Pertinacem a nonnullis fidelium (Her.) vel a coniuge (Dio) de rebellione praetorianorum certiorem fieri;

b) Pertinacem ante mortem orationem apud praetorianos habuisse. E quibus de hac re iam satis diximus n. 80; de altera commonefacimus loci simillimi, Her. I 13, 1 — Dio 72, 13, 5[81] dico, ubi de Cleandri interitu agitur: ibi eadem discrepantia occurrit: Commodus de tumultu plebis certior fit, ut vult Herodianus, a Fadilla sorore, ut Dio, a Marcia concubina. Quodsi conicimus utrumque scriptorem de eodem fonte hausisse, facillime resolvitur haec difficultas: ibi enim falsam (Herodianeam dico) narrationem fuisse, quam correxerit Dio, statuere possumus, vel utramque, ex quibus unusquisque alteram elegerit, vel alia quadam ratione explicare poteris auctorum dissensionem; alterum vero ab altero auctore omnino

---

80. Herodianus hoc loco orationem satis longam inserit, quam a rhetore inventam apparet; neque testimonio v. Pert. 11, 8 (Pertinax . . . eos longa et gravi oratione placavit) fidem habendam esse existimo; incredibile enim est ante caedem imperatoris illos longae et gravi orationi eius aures praebuisse; falso igitur de hoc loco iudicasse puto Schulzium ‘Beitraege’ p. 24 sq.

81. cf. Kreutzer p. 32 sqq.

alienum esse credibile non est propter tot tantasque similitudines eorundemque verborum crebras usurpationes. — Sed ut adhuc convenerunt auctores, ita nunc discedunt: Eclectum Herodianus non nominat, ex quo Pertinax imperator appellatus est; quod nostrae opinioni — eos ex eodem fonte hausisse — non repugnat: hoc loco enim apparet Dionem haec, quae de Eclecto dicit, de suo addidisse, quoniam prima verbi persona utitur in enarranda eius morte: (§ 2) *ἐγὼ νομίζω, ἐθαύμασα.*

Longius etiam discedunt in eis, quae Pertinace occiso fecerint praetoriani. Herodianus enim dicit eos paucos dies[82] exspectasse, ut populi animos perspicerent, quomodo Pertinacis mortem laturi essent, Dio capite Pertinacis absciso caede exsultasse. Sed accuratius examinanti haec discrepantia levissima est: temporis enim notationem Herodiani nihil efficere luce clarius est; praetorianos autem plebis furorem timuisse verisimile est: nam plebem praetorianis maxime invisam fuisse intellegimus sub Commodo imperatore, ubi Cleandri causa proelium inter plebem et milites ortum tradit Her. I 12, 6—8 (cf. Dio 72, 13, 4—5); deinde magnum post Pertinacis mortem tumultum tradunt fuisse et Dio et Herodianus (cf. Dio 73, 11, 1: *διαγγελλομένου δὲ τοῦ κατὰ τὸν Περτίνακα πάθους οἳ μὲν ἐς τὰς οἰκίας*[83] *ἔτρεχον, οἳ δὲ ἐς τὰς τῶν στρατιωτῶν, καὶ τῆς ἑαυτῶν ἀσφαλείας πρόνοιαν ἐποιοῦντο.* — Her. 6, 1 — *ταραχή τε καὶ πένθος πάντας κατεῖχε, διέθεόν τε ἐθνουσιῶσιν ἐοικότες*[84], *κίνησίς τε ἄλογος κατεῖχε τὸν δῆμον, ζητούντων τοὺς δράσαντας, μήτε δὲ εὑρεῖν μήτε ἀμύνασθαι δυναμένων*). Quid igitur aliud signi-

———————

82. Tales temporum significationes apud Herodianum crebras fideque plerumque indignas collegit Fuchs W. St. 17 p. 249 sq. n. 157; 18 p. 231 n. 306; cf. 'Severus' p. 2.

83. cf. notam Boissevainii.

84. Verbum *ἐνθουσιᾶν* libenter usurpat Herodianus, ut significet, qui fuerint animi plebis post imperatoris mortem compertam; II 2, 3; VII 7, 1. cf. Fuchs W. St. 17 p. 242 n. 106.

ficat Dionis 'οἱ δὲ ἐς τὰς τῶν στρατιωτῶν (οἰκίας ἔτρεχον)' nisi idem quod Herodiani 'ζητούντων τοὺς δράσαντας'? Si igitur Herodianus de timore praetorianorum loquitur, non nimis a vero aberrat; cui vero hoc nimis audacter dictum videbitur, concedet ex eo, quod Dio narrat, facile sententiam oriri potuisse plebem praetorianis timorem iniecisse: quod ad nostrām sententiam optime adaptatur.

De eo, quod sequitur, de imperio a Juliano empto, magna virorum doctorum consensio est duas eius rei relationes existere, alteram Dionis Herodianique, alteram vitae Juliani (c. 2)[85]; paucis tamen rebus a Dione discedit Herodianus, sed eae aut levissimae sunt aut facile explicantur Herodiani narrandi genere cognito. Herodianum hoc loco rem magno cum gaudio enarrasse atque exornasse facile perspicitur: qua re interdum cogitur a vero discedere. Cum praetorianos ut timidos depinxerit, imperii auctionem non eodem die, quo interfectus est Pertinax, factam dicit, sed paucis diebus post. Inde altera mutatio orta est: Sulpicianum, imperatoris occisi socerum, tres dies in castris rebellium mansisse incredibile esset: propterea Herodianus Sulpicianum non ut Dio in castris esse narrat, sed ut Julianum ex urbe ad castra venisse. — Cum hoc loco videamus auctores nostros in eodem errore versari, firmissimum habemus argumentum eos inter se cohaerere (cf. Heer p. 131). Sed quae sit ista cognatio — quam iam supra saepe repperimus — nondum perspicimus; Hoefner quidem iudicat Herodianum sua e Dione sumpsisse et arte rhetorica exornasse: qua de sententia brevi iudicare poterimus. — Herodianus Julianum dicit ebrium in convivio de auctione imperii nuntium accepisse et ab uxore filiaque monitum ad castra praetoria cucurrisse: ea narratiuncula apud Dionem omnino deest; etsi quis existimare

85. cf. p. 18 sq. — Fuchs 'Severus' p. 2 n. 4. Schulz 'Beitraege' p. 32 sqq.

potest Xiphilinum eam omisisse, tamen ea sententia nobis non probatur; de eius origine conicere licet; Fuchsio assentieris[86] eam e fama vulgari haustam, sed levissima res est: falsam eam esse recte intellexit Fuchs l. l. — Praeterea in eo dissentiunt, quod Herodianus dicit Sulpicianum ea de causa repudiatum, quod milites timebant, ne Pertinacis caedem ulcisceretur; contra Dio tradit Julianum eis illum timorem movisse; tamen id minimi momenti est. Praeterea Julianus, ut narrat Herodianus, praetorianis pollicetur se Commodi memoriam restituturum, quod Dio omittit; sed cap. 12, 1 Dio dicit Juliano Commodi nomen datum esse. Ceteris in rebus consentiunt; de agmine, quo milites novum imperatorem e castris eduxerunt, verbis similibus utuntur:

Her.:	Dio:
τὰ σημεῖα ἄραντες — προήγετο πλέον τι τῆς συνηθείας δορυφορούμενος – φράξαντες ἑαυτοὺς ἐς φάλαγγος σχῆμα.	*μετὰ σημείων συχνῶν — παμπληθεῖς δορυφόρους . . . ἄγων — ἐς παράταξίν τινα.*

Sed Julianum antea in castris immolasse Herodianus tradit, Dio omittit, quod levissimum est; maioris momenti videatur, quod diversa narrant de fine agminis, quem Herodianus palatium, Dio forum dicit. Quae dissensio eadem inter eos est, ubi de Pertinacis salutatione imperatoria verba faciunt.

Quae ultima paragrapho c. 6 Herodianus dicit praetorianorum animos tunc primum corruptos esse, rhetorem redolent; scripta sunt ea mente, ut intellegatur Julianum a Pertinace quam maxime differre: verisimile est Herodianum eadem de causa donativum a Pertinace datum omisisse[87]; ita ea quoque difficultas resolvitur.

---

86. 'Severus' p. 3.

87. cf. Sievers Philol. 26 p. 255 XII. Fuchs W. St. 17 p. 230 p. 247.

Cap. 7 Herodianus de Juliani luxuria loquitur dicitque eum ‘*εὐθέως*’ vitae delicatae se dedisse; neque aliter Dio c. 13, 1—2 in. Sed haec quaeso animadvertas: Herodianus aeque ac Dio Julianum ut helluonem et hominem corruptissimum depingit neque quicquam boni in eo novit; Herodianus praeterea maxime studet narratiunculis libellum suum ornare[88]. Quid igitur quod illam fabellam omittit, quae legitur apud Dionem 13, 1—2 Julianum in palatio epulatum esse Pertinacis corpore ibidem iacente? Num putandum est Herodianum haec praeteriturum fuisse, si Dionis librum novisset? Hoc igitur loco dico apparere Herodianum Dionis librum ignorasse neque eo usum esse in historiis suis componendis. Quid autem iudicandum sit de iis locis sat multis, quibus intelleximus scriptores ad verbum convenire nec negavimus cognationem quandam eamque propinquam inter eos existere, mox perspiciemus. Nam toto hoc loco apparet Dionem suae memoriae debere quae dixit; conferas iam c. 12 § 1 f. *ἵνα καὶ ἡμᾶς;* § 2 in: *ἡμεῖς δὲ . . ἐφοβούμεθα . . ἐγώ*, § 3 *ἡμῖν* cet. Nec prius desinit de se ipso senatoribusque verba facere, quam c. 13 § 2 f.: hic omnino nihil cum Herodiano consentiens reperias, contra c. 12 § 1 in. verba fere eadem a Dione quae ab Herodiano usurpata esse videramus p. 35. Jam sequentia persequamur: et Herodianus et Dio tradunt Pescennium Nigrum a plebe Romana contra Julianum auxilio esse vocatum. Quo loco cognoscimus eos in rebus multis consentire, in nonnullis discrepare, sed ita, ut Dio et plura et accuratiora tradat quam Herodianus. Nam Herodianus haec habet: *ὁ δῆμος . . . εἶχον [αὐτὸν] ἐν καταφρονήσει, ὡς προϊόντα τε κακῶς ἀγορεύειν, ἐπ᾽ αἰσχραῖς τε καὶ ἀμφιβόλοις ἡδοναῖς σκώπτειν.* Quae omnia a Dione diffusius narrantur excepto illo ‘*ἐπ᾽ αἰσχραῖς καὶ ἀμφιβόλοις ἡδοναῖς σκώπτειν*, de quo in

88. cf. quae de imperio Pertinaci post Commodi caedem oblato tradit II 1, 5 sqq., de Materni tumultu I 10 sqq. aliaque multa.

Dionis epitoma nihil legitur nisi ʽοὐκ ἐπαύσατο (scil. ὁ δῆμος) . . τὸν Ἰουλιανὸν λοιδορῶν' sed facile concedas epitomatorem hoc loco Dionis narrationem contraxisse. De ceteris conferas haec: Her.: ʽπροϊόντα' — Dio: ʽἐπειδὴ πρὸς τὸ συνέδριον ἦλθεν καὶ τῷ Ἰανῷ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν αὐτοῦ θύσειν ἔμελλε'; Her.: κακῶς ἀγορεύειν' — Dio (§ 3): ʽἐξέκραγον πάντες ὥσπερ ἐκ συγκειμένου τινὸς τῆς τε ἀρχῆς ἅρπαγα αὐτὸν καὶ πατροφόνον ὀνομάζοντες'. Sequitur apud Dionem et Herodianum res illa in circo acta, cuius causam ab Herodiano non docemur, apud Dionem uberrime narratam habemus: quae omnia si reputaveris concedes etiam hoc loco Dionem de suo addidisse. — Herodianus igitur et Dio quam maxime consenserunt de Pertinacis caede, de Juliani salutatione imperatoria, de agmine eius cum praetorianis, deinde plane discesserunt in rebus, quas Dionem de suo addidisse verisimile est. Si igitur iam conamur de ratione, quae inter eos intercedat, iudicium ferre, dicendum nobis est utrumque de eodem fonte hausisse, Herodianum quae inde sumpsisset arte rhetorica exornasse vel deformasse, Dionem sua memoria nisum multa adiecisse, cuius rei testimonia non desunt: prima persona grammatica utitur in eis partibus, ut supra vidimus. Cui sententiae, Dionem ipsum aliquem auctorem de his temporibus inspexisse, non repugnat, quod ipse eis annis iam iuvenis fuit; quis enim tot annorum res gestas memoria tenere possit non solum, sed etiam de rebus minusculis accurate referre[89]. E sequentibus libris intellegemus rem revera ita se habere; sed etiamsi adhuc dubitare licet de illo communi, quem statuimus, fonte, id certe fatebimur Herodianum e Dione non hausisse[90].

---

89. cf. H. Peter 'Die geschichtliche Litteratur' II p. 230.

90. Quae Herodianus § 1 refert Julianum donativum praetorianis promissum solvere non potuisse, ad hanc quaestionem non pertinent; nam etsi iterum ac saepius hoc dicit (II 7, 6; 8, 5; 10, 4; 11, 7) tamen

In ea, quae sequitur, parte scriptores inter se discedunt; nam Dio postquam brevissime (ut quidem in epitoma servatum est) de Juliani imperio locutus est, iam de tribus imperii aemulis refert, Herodianus de Nigro plura narrat et de eis, quae ille Antiochiae gesserit. Quae ipsa quoque nihil ad quaestionem nostram efficiunt: nam et fieri potuit, ut Dio ordinem rerum in illo fonte adhibitum mutaret, et — id quod mihi maxime probatur, — ut Herodianus ipse adderet, quae hoc loco de Antiochia legimus: eum enim Antiochiae natum esse equidem coniecerim cum de causis quas Kreutzer[91] attulit tum quod totum Severi Alexandri bellum Persicum ita describit, ut tanquam specula urbe Antiochia utatur[92]; praeterea et ea, quae de Antiochenis[93] dicit et quae de provincia Syria[94], recte se habent. Quare haec iam omittamus.

E sequentibus locis concordia auctorum nostrorum his maxime intellegitur:

Her. II 9, 2:	Dio 73, 15, 1:
ἐς . . πραγμάτων διοίκησιν γενναῖος ἅμα καὶ θυμοειδής . . νοῆσαί τε ὀξὺς καὶ τὸ νοηθὲν ἐπιτελέσαι ταχύς.	*. . δεινότατος ἦν τό τε μέλλον ἀκριβῶς προνοῆσαι καὶ τὸ παρὸν ἀσφαλῶς διοικῆσαι . . .*

Illud vero Herodiani ‘*νοῆσαι ὀξὺς*’ amplius persequitur Dio verbis ‘*πᾶν μὲν τὸ κεκρυμμένον ὡς καὶ ἐμφανὲς ἐξευρεῖν, πᾶν δὲ τὸ δυσλόγιστον ὡς καὶ ἁπλοῦν διακρῖναι, πᾶν δὲ τὸ δυσδιάθετον ὡς καὶ ῥᾷστον ἐξεργάσασθαι.*

12, 6 eandem defectionis causam tradit quam Dio (73, 17, 2). Apparet igitur Herodianum eam rem aut alio e fonte sumpsisse aut fama vulgari comperisse; plura enim indicia sunt eum famae quoque nonnulla debere.

91. p. 8 sqq.

92. VI 4, 3 sqq. cf. Daendliker p. 221 sq.

93. Fuchs ‘Severus’ p. 15 n. 2 monet Herodiani de Antiochenis iudicium convenire cum Athenaeo Deipnos. V c. 22—24 Tauchnitz.

94. cf. Mommsen R. G. V[5] p. 447.

De Severi celeritate etiamsi re ipsa inter se congruunt Her. II 11, 1—2 et Dio 73, 15, 2—3, tamen verborum consensus non est tantus, ut quicquam argumenti inde capiatur[95].

Sed simillimi sunt ei loci, ubi auctores nostri tradunt[96], quam misere Julianus bellum contra Severum parare conatus sit. Qui consensus maxime quattuor locis comparet:

Her. II 11, 9:	Dio 73, 16, 1—4:
1. *δεόμενος — πρὸ τῆς πόλεως τάφρους διορύττειν.*	*τάφρευμα ἐν τῷ προαστείῳ διετάφρευσε.*
2. *καὶ τὴν πρὸς Σεβῆρον μάχην ὡς ἐν τῇ πόλει ποιησόμενος παρεσκευάζετο.*	*καὶ πύλας ἐπ᾽ αὐτῷ* [scil. *τῷ προαστείῳ*] *ἐπέστησεν ὡς καὶ ἐνταῦθα ἐκστρατεύσων καὶ ἐκεῖθεν πολεμήσων.*
3. *τούς τε ἐλέφαντας πάντας, οἳ ἐς πομπὴν ὑπηρετοῦσι Ῥωμαίοις, πύργους καὶ ἄνδρας φέρειν ἐπὶ τῶν νώτων ἐπαίδευεν.*	*οἵ τε ἐλέφαντες ἀχθόμενοι τοῖς πύργοις*[97] *οὐδ᾽ αὐτοὺς τοὺς ἐπιστάτας ἔφερον, ἀλλὰ καὶ ἐκείνους κατέβαλλον.*
4. *τότε δὴ πᾶσα ἡ πόλις ὅπλα εἰργάζετο καὶ τὰ πρὸς πόλεμον παρεσκευάζετο.*	*Καὶ ἐγένετο ἡ πόλις ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις οὐδὲν ἄλλο ἢ στρατόπεδον, ὥσπερ ἐν πολεμίᾳ.*

Quibus in rebus minus consentiunt, Dio plura tradit quam Herodianus; sed omnino desunt discrepantiae inter eos a primae paragraphi (Dionis) sententia altera ad finem secundae paragraphi. Prima sententia paragraphi

---

95. Herodianum libenter de Severi celeritate verba facere recte intellexit Fuchs W. St. 17 p. 248 n. 149, ubi addas locos II 9, 2; 11, 6.

96. cf. Hoefner p. 92 n. 188. — Schulz 'Beitraege' p. 32: 'Besonders nahe stehen sich Her. II 11, 9 und Dio c. 16.'

97. Quam arte hi loci inter se cohaereant, intellexit Reimarus, qui codicum Dionis lectionem '*ἵπποις*' correxit in '*πύργοις*' respecto Herodiani loco; cf. Dio ed. Sturz vol. VI p. 769 n. 110; eam lectionem firmant cod. Peir. et Suidas, v. Boissevainii notam.

primae Dio dicit Julianum per senatum Severum hostem iudicasse, de quo omnino silet Herodianus. Paragraphis tertia et quarta quae Dio tradit, apud Herodianum paene omnia desunt; atque etiam in eis rebus, quibus cum Herodiano convenit, narrationem ad suam personam vertit (velut de elephantis 'ἔστι δὲ ὅτε καὶ γέλως ἡμᾶς ἐλάμβανεν'). Quare de hoc Dionis loco ita iudicandum est: initium paragraphi 1 de sua memoria sumpsit Dio (quoniam senator erat, ipse interfuit illi senatus consilio, quo hostis Severus iudicatus est); inde ab altera eiusdem paragraphi sententia hausit ex eodem fonte, quem Herodianus quoque adhibuit; inde a § 3 partim res de fonte haustas e sua memoria auctas reddidit, partim ipse de suo novas addidit, velut quod dicit Julianum palatium foribus firmis et claustris obsaepsisse; nam huius rei meminerat Dio propter cavillationem malignam, qua senatores et plebei eam ob rem Julianum insectati erant. Hoc igitur loco sententiae nostrae, qua utrumque scriptorem ex eodem fonte hausisse putamus, firmum fundamentum iecisse nobis videmur.

Non aliter res se habet in capite insequenti (Her. II 12, 1—7 — Dio 73, 16, 5—17 f.), ubi Juliani interitum narrant. Quae initio capitis dicit Herodianus (—καὶ δεδιότες τὴν δύναμιν τοῦ Σεβήρου τὰ ἐκείνου φρονεῖν προσεποιοῖντο § 2) mire conveniunt cum alio Dionis loco (75, 8, 5 ὅτι πάντες μὲν ἐπλάττοντο τὰ Σεουήρου φρονεῖν) in excerptis Vaticanis περὶ γνωμῶν servato; sed cum id fragmentum in alio rerum conexu collocandum videatur, hic praetermittendum putamus.

Julianum ad artem magicam salute desperata confugisse Dio 16, 5 tradit, apud Herodianum deest, quod nullius momenti est; item Herodianus insidias Severo a Juliano paratas ignorat: omnes has res, ut in urbe gestas, Dionem de suo addidisse credibile est. Contra Herodianus dicit multos Severi milites clam in urbem pervenisse; quam

narrationem Fuchs[98] abicit ut fide indignam; rectius Ceuleneer[99] eam coniungit cum illa, qua Dio refert epistulam a Severo in urbem missam, qua Pertinacis percussores expoposcisset. Certe eis discrepantiis colligitur alterum altero usum non esse. — § 3 Herodianus cum Dione convenire incipit: Julianus senatu convocato 'καταπέμπει γράμματα, δι' ὧν ἐσπένδετο δὴ πρὸς τὸν Σεβῆρον καὶ αὐτοκράτορα ἀναδείξας κοινωνὸν τῆς βασιλείας ἐποιεῖτο', quibuscum conferas Dionis c. 17 § 2 'συγκαλέσας ἡμᾶς ὁ Ἰουλιανὸς κοινωνὸν αὑτῷ τῆς ἀρχῆς ἐκέλευε τὸν Σεουῆρον ψηφίσασθαι'. Eae res, in quibus Herodianus a Dione discedit, ab epitomatore omissae videntur, nam Julianum Severi gratiam per legationem conciliare voluisse propterea verisimile est, quod post eius damnationem senatus ipse legatos ad Severum misit[100]; quod vero Herodianus dicit Severum imperatorem appellatum esse, hoc in Dionis quoque verbis κοινωνὸν τῆς ἀρχῆς' latet, quae, ut ostendimus, optime cum Herodiano consentiunt. In eo quoque congruunt scriptores, quod extremum illud de Juliano senatus consultum iussu consulum factum dicunt, qua quidem in re Dio iterum plura quam Herodianus refert: nam nomina et consulis et loci, quo convenerint senatores (Athenaeum) dat.

Praetoriani, ut dicit Herodianus § 6, timore Severi perterriti a Juliano deficiunt, quam eandem causam apud Dionem legimus (17, 2)[101]. Conferas quaeso praeterea:

Her. II 12, 6:	Dio 73, 17, 4:
ὡς δὲ ἔμαθεν ἡ σύγκλητος τὸν Ἰουλιανὸν οὕτω κατεπτηχότα, τὴν δὲ δορυφόρων φρουρὰν διὰ	καὶ ὃς συναγαγὼν ἡμᾶς ἐς τὸ Ἀθήναιον καλούμενον . . τὰ παρὰ τῶν στρατιωτῶν ἐδήλωσε

98. 'Severus' p. 29. n. 1.

99. 'Essai sur la vie de Septime Sévère (Mém. cour. de l'acad. royale de Belgique t. 43)' Bruxelles 1880 p. 44.

100. v. Sev. 6, 1 sqq.

101. cf. p. 37 n. 90.

δέος τοῦ Σεβήρου αὐτὸν ἐγκαταλιποῦσαν, ψηφίζεται τὸν μὲν ἀναιρεθῆναι, ἀποδειχθῆναι δὲ μόνον αὐτοκράτορα τὸν Σεβῆρον.

καὶ τοῦ τε Ἰουλιανοῦ θάνατον κατεψηφισάμεθα καὶ τὸν Σεουῆρον αὐτοκράτορα[102] ὠνομάσαμεν, τῷ τε Περτίνακι ἡρωικὰς τιμὰς ἀπεδώκαμεν.

De Pertinacis honoribus divinis nihil apud Herodianum legimus; quod argumentum est Herodianum Dionis libros ignorasse: incredibile enim est eum, qui Pertinacem plurimi facit[103], hoc omissurum fuisse.

Simili ratione de ipsa Juliani morte loquuntur (respicias potissimum ea, quae de ultimis eius verbis tradunt):

Her. II 12. 7 f.:
ὁ μὲν οὖν εὑρεθεὶς ἔρημός τε καὶ ὑπὸ πάντων καταλειφθείς, αἰσχρῶς ὀλοφυρόμενος ἐφονεύθη.

Dio 73, 17, 5 in.:
ὁ μὲν οὖν Ἰουλιανὸς οὕτως ἐν αὐτῷ τῷ παλατίῳ κατακείμενος ἐφονεύθη, τοσοῦτον μόνον εἰπών, 'καὶ τί δεινὸν ἐποίησα; τίνα ἀπέκτεινα;'

Tribunum ad eum necandum a senatu missum esse solus Herodianus dicit, ac recte, ut videtur, collato loco v. Jul. 8, 8: 'missi tamen a senatu, quorum cura per militem gregarium in Palatio idem Julianus occisus est.' Mueller autem Herodianum vituperat[104], quod Julianum hoc loco *πρεσβύτην* dicit; quod merito dicere poterat de homine sexagenario[105]. — Itaque de Juliani quoque extremis diebus et caede scriptores ita tradunt, ut pluribus de rebus eadem dicant, saepe iisdem verbis usi, nonnumquam alter plus altero habeat (Dionem dico, qui res in urbe atque

---

102. Plenius Herodianus '*μόνον αὐτοκράτορα*'; imperator enim Severus iam illo senatus consulto de participando imperio (v. Sev. 5, 7; v. Jul. 6, 9) appellatus erat.

103. cf. II 1, 9; 2, 7 sqq.; 4, 1; 5, 8; 6, 2; 9, 8 sqq; 10, 4; 13, 6.

104. p. 188.

105. Dio 73, 17, 5 f. Aliter v. Jul. 9, 3. cf. Prosopogr. imp. Rom. t. II p. 11 no. 68.

senatu gestas uberius refert), raro inter se discrepent: veram igitur sententiam supra protulisse videmur.

Herodianus II 13 et Dio 74, 1, 1—2 uberrime[106] tradunt Severum praetorianos armis exuisse. Percussores Pertinacis a Severo morte multatos non dicit ille, quoniam c. 5 non ducentos trecentosve sed omnes milites urbanos illud scelus commisisse narraverat[107]. Nunc demum Herodianus epistulam a Severo ad tribunos centurionesque datam commemorat, qua eos magnis promissis hortatur *ὅπως πείσειαν τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ στρατιώτας ὑπακούειν εὐπειθῶς τοῖς ὑπὸ Σεβήρου κελευομένοις*; quibuscum cf. Dio 73, 17, 3; sed Dio de ea epistula ante Juliani mortem narrat. — § 2 Herodianus de altera epistula tradit, qua Severus praetorianos iusserit *εἰρηνικῷ σχήματι* ex urbe egredi ad sacramentum Severo dicendum; quam ibidem habet Dio (exc. Salm.) 74, 1, 1: *ἔστειλεν γράμματα εἰς τὴν Ῥώμην ὑπαντῆσαι αὐτῷ τοὺς στρατιώτας*; de sacramento hic nihil legitur, sed apparet id ab excerptore praetermissum esse. Sed etsi notandum est utrumque scriptorem amplius de ea re rettulisse, tamen intellegimus Herodianum e Dione sua non hausisse: neque enim ea, quae e Severi oratione tum habita servavit Dio *(ἐπὶ φυλακῇ) γὰρ βασιλικῇ ταχθέντες οὐκ ἐν τῷ ἀριστερῷ μέρει τὰ ξίφη διαζώννυσθε ἀλλ' ἐν τῷ δεξιῷ)* in ea, quam reddit Herodianus, leguntur neque de illo praetoriano, qui dolore permotus equo necato sibi ipse mortem conscivit, Herodianus loquitur[108]. Sed tamen utramque relationem artissime inter se cohaerere perspicimus: Her.: (§ 6) *σεμνὸν πρεσβύτην καὶ βασιλέα χρηστόν, ὃν ἐχρῆν σώζειν καὶ δορυφορεῖν, ἐφονεύσατε* sqq. — Dio (Xiph.): *πολλά τε καὶ πικρά σφων παρανομίας ὀνειδίσας αὐτοῖς* — (exc. Salm.): *ὠνείδισεν εἰπὼν ὅτι καὶ κἂν μὴ αὐτοὶ ἐγένοντο αὐτόχειρες Περτίνακος τοῦ βασιλέως, ἀλλα δέον αὐτοὺς ἀνελεῖν τοὺς ἀπο-*

---

106. cf. p. 19.

107. cf. p. 31 n. 79.

108. cf. quae p. 36 diximus Herodianum libenter tales narratiunculas operi suo inserere.

κτείναντας ἐκεῖνον, τοῦτο μὴ ποιήσαντες ὑπ' αἰτίαισίν εἰσι φόνου. — Nostrae igitur sententiae adeo non repugnat hic locus, ut eam firmare videatur (nam Dionem illi facto interfuisse verisimile est). Herodianum hic pauca accuratius tradere quod videmus, epitomatori vitio tribuemus, velut praetorianos ultra centesimum miliarium ab urbe relegatos esse, quod Herodiani testimonium firmatur loco Dionis 74, 1, 1 f. (Xiph. et exc. Salm.), et Severum castra praetoria clam occupari iussisse, ne eo confugerent praetoriani exauctorati[109].

Sequitur apud utrumque Severi in urbem Romam introitus (Her. II 14, 1—2; Dio 74, 1, 3—5). Eos hoc loco plane consentire intellexit Fuchs[110]. Sed nonnullis e rebus apparet Dionem ut testem oculatum de introitu referre; velut cum dicat Severum a porta pedibus isse, quod apud Herodianum deest. Sed reperiuntur quoque loci, quibus arte inter se cohaerent:

Her. II, 14, 1:	Dio 74, 1, 4:
ὁ δὲ Σεβῆρος σὺν παντὶ τῷ λοιπῷ στρατῷ ὡπλισμένῳ ἐς τὴν Ῥώμην ἀφικνεῖται.	*καὶ αὐτῷ καὶ ὁ στρατὸς πᾶς, καὶ οἱ πεζοὶ καὶ οἱ ἱππεῖς, ὡπλισμένοι παρηκολούθησαν.*

Sed quoniam deinde Dio de senatoribus loquitur, quorum in numero ipse erat, fontem illum minus agnoscimus; nam cum Herodianus populum tristissimum fuisse dicat, Dio meram laetitiam refert: intellegimus eum de senatus habitu loqui; is enim novi imperatoris gratiam sibi conciliaverat supplicio Juliani et legatione, quam ad eum miserat; populum autem maestum fuisse e Dione quoque colligi licet: cap. 2, 3 prodit controversias ortas e novo praetorianorum corpore legionibusque in urbe versantibus.

Nunc quoniam Herodiani secundi libri partem posteriorem accuratius exanimantes, ut putamus, declaravimus eam inter Herodianum et Dionem cognationem existere,

---

109. cf. Fuchs 'Severus' p. 32 n. 2 et 3.
110. 'Severus' p. 33 n. 4.

ut uterque ex eodem fonte haurirent, reliquos libros brevius percurramus, maxime ideo, ut intellegamus, quo loco indicia eius fontis comparere desinant.

Uterque de bello a Severo cum Nigro gesto iam narrat; qua in re etsi multis locis dissentiunt, tamen hic quoque propinquitatem quandam cognoscas nec probes Kreutzeri iudicium Herodianum de hoc bello alium auctorem adhibuisse[111]. Nam quod dicit Herodianum plura tradere quam Dionem, obliviscitur Dionis libros valde mutilatos esse, et multa Herodianum, quem ipse Syrum putat[112], de suo addidisse plus quam veri simile est. — Nostra vero non interest hoc loco singulas scriptorum notas perlustrare, sed in universum spectare, si quibus locis ad verbum consentiant.

Atque iam in primo cap. talis locus occurrit, ubi de Byzantii munitione agitur:

Her. III 1, 6:	Dio 74, 10, 3:
. . *περιετετείχιστό τε γενναίῳ τε καὶ μεγίστῳ ἡ πόλις τείχει, πεποιημένῳ μυλίτου λίθου ἐς τετράγωνον εἰργασμένου τοσαύτῃ τε συναφείᾳ καὶ κολλήσει ὡς μηδένα οἴεσθαι τὸ ἔργον σύνθετον, ἑνὸς δὲ λίθου πᾶν πεποιῆσθαι.*	*ὅ τε γὰρ θώραξ αὐτῶν λίθοις τετραπέδοις παχέσι συνῳκοδόμητο, πλαξὶ χαλκαῖς συνδουμένοις . . . ὥστε καὶ ἓν τεῖχος παχὺ τὸ πᾶν εἶναι δοκεῖν.*

Qui consensus haud parvi momenti videtur (hoc loco Dio fontis narrationem auxisse videtur e litteris Prisci Nicaeensis, cf. Dio 74, 11, 2). Etiam quae de situ ac natura Byzantii dicunt, similia reperias.

---

111. In 'Historische Untersuchungen, Arnold Schaefer gewidmet' (cf. p. 6 n. 4) p. 225—235. Eius opinionem, qua putat Herodianum mox e Dione, mox e Mario Maximo hausisse, iam saepius refellimus: cf. quae de eo libello iudicavit H. Haupt Philol. 44 p. 567.

112. 'de Herodiano' p. 7 sqq.

De Tauri descriptione Herodianea rebusque in illa regione gestis satis disputaverunt viri docti[113], ut nihil amplius addendum sit; sed id non neglegendum videtur etiam in ea tam diversa, ut primo aspecto credideris, narratione quaedam communia eis esse. Conferas enim quaeso:

Her. III 3, 2:

τῆς γὰρ ὁδοῦ στενῆς οὔσης τὸ μὲν ἕτερον μέρος ὕψιστον ὄρος σκέπει, ἐπὶ θάτερα δὲ κρημνὸς βαθὺς τοῖς ἐκ τῶν ὀρῶν συρρέουσιν ὕδασι πόρος γίγνεται· ὅπερ καὶ αὐτὸ πᾶν παρεπέφρακτο ὑπὸ τοῦ Νίγρου τοῦ πανταχόθεν κωλύεσθαι ἕνεκα τὴν δίοδον τοῦ στρατοῦ.

Dio 74, 7, 2 (1 f.—2 in.):

ἡ δὲ εἰσβολὴ αὕτη, αἱ Κιλίκειοι πύλαι, διὰ τὴν στενότητα οὕτω προσαγορεύονται· ἔνθεν μὲν γὰρ ὄρη ἀπότομα ἀνατείνει, ἔνθεν δὲ κρημνοὶ βαθεῖς ἐς τὴν θάλασσαν καθήκουσιν. ὁ οὖν Νίγρος στρατόπεδον ἐνταῦθα ἐπὶ λόφου τινὸς ἐποιήσατο κτλ.

Hic multis verbis conveniunt, maxime vero illi ‘*κρημνοὶ βαθεῖς*’ animadvertendi esse videntur. — Deinde autem desperamus diiudicare, utrum illa tempestas, quam uterque Nigro multum nocuisse tradit, in iugo montium, ut vult Herodianus, an in ipsa pugna ad Issum facta, ut Dio narrat, Nigri rem pessum dederit: eos inter se magis quam cum reliquis auctoribus consentire hic quoque cognoscimus.

Non multum ei tribuimus, quod de Nigri morte plane eadem apud utrumque leguntur:

Her. III 4, 6:

εὑρεθείς τε ὑπὸ τῶν διωκόντων καὶ συλληφθεὶς τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη.

Dio 74, 8, 3:

ἑάλω δὲ ὑπὸ τῶν καταδιωξάντων καὶ ἀπετμήθη τὴν κεφαλήν,

sed cum ex tota hac parte colligatur fieri non potuisse, ut alter ex altero hauriret, firmatur hoc consensu sententia nostra.

---

113. cf. Schulz ‘Beitraege’ p. 39 sq.

De Byzantio a Severo Perinthiis dato iterum similia habent Herodianus III 6, 9 et Dio 74, 14, 3, sed ea ad rem paulum efficiunt[114].

De bello a Severo cum Albino gesto Herodianum Dioni propiorem esse quam ceteris auctoribus supra demonstravimus; iam vide:

Her. III 8, 1:	Dio 75, 7, 3:
καὶ πέμψας τὴν κεφαλὴν τοῦ Ἀλβίνου δημοσίᾳ ἀνασταυρωθῆναι κελεύει.	*τὴν δὲ κεφαλὴν ἐς τὴν Ῥώμην πέμψας ἀνεσταύρωσεν.*

Quae consensio etiam gravior fit eo, quod eis, quae sequuntur, uterque de epistula a Severo Romam missa tradit; quod autem supra diximus Dionem de rebus Romae gestis de suo quaedam addidisse, hoc quoque loco apparet; cum enim Herodianus tradat Severum illam epistulam misisse, Dio de timore patrum animis ea epistula iniecto narrat.

De eis, quae bellis confectis Severus fecerit, quamquam pauca dicit Herodianus, tamen in re haud levi cum Dione congruit:

Her. III 10, 2:	Dio 76, 7, 3:
δικάζων τε συνεχῶς καὶ τὰ πολιτικὰ διοικῶν, τούς τε υἱεῖς παιδεύων καὶ σωφρονίζων	*ὁ Σεουῆρος οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων τὸ παράπαν ἐξέλιπεν, ἀλλὰ καὶ ἐδίκαζεν, καὶ πάντα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα διῴκει.*

Non solum illud ʻ*δικάζειν καὶ τὰ πολιτικὰ διοικεῖν*ʼ uterque habet, sed idem quod Herodiani vocabulum ʻ*συνεχῶς*ʼ significat Dionis ʻ*οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων τὸ παράπαν ἐξέλιπεν*ʼ; atque cum deinde Herodianus de filiorum discordia referat,

114. Notandum est Herodianum ad fortunam Byzantii poenam similem Antiochenorum adiunxisse; hoc quoque loco firmatur sententia nostra de origine Herodiani Antiochena.

Dio paulo ante (76, 7, 1—2) de eadem locutus erat; neque enim existimo epitomatorem haec dissimilia coniunxisse.

De Plautiani caede Herodianum et Dionem solos accuratius referre supra memoravimus. Ac narrationes eorum qui legerit (Her. III 11 sq. — Dio 76, 3 sq.) animadvertet simillimas nec tamen pares esse. Nam Plautianum dolo Caracallae cecidisse Dio pro certo tradit, Herodianus dicit Severum credidisse: conferas igitur haec cum Cleandri caede, de qua intelleximus[115] utrumque eodem fonte usum, Dionem de suo nonnulla addidisse. Nec difficulter hoc quoque loco Dionis manum agnoscimus: omina enim quis tam curat quam Dio (Severum Albini imaginem somno vidisse, iumenta Plautiani ad palatium festinantis cecidisse refert); cetera eadem fere atque apud Herodianum sunt: de Saturnino[116], de caede per litteras iussa aliisque de rebus (velut Severum oratione Plautiani iam moveri coeptum, Plautianum iussu Caracallae interfectum esse) consentiunt.

In quarto Herodiani libro iterum indicia illa comparent. Funus quidem imperatorium, quod 2, 2 sqq. narrat, Dio iam post Pertinacis mortem 74, 4—5 rettulit. Et haud scio an ab illo auctore, quem ab utroque adhibitum esse persuasum habemus, funus alicuius imperatoris amplius descriptum sit, quod uterque scriptor ut ornamentum historiarum suis libris inseruit. Quod autem Dio alio loco illud funus narrat atque Herodianus, ne id quidem cuiusquam momenti est: nam facile odio Severi[117] vel Caracallae aut amore Pertinacis motus locum mutaverit. Sed ea de re pro certo nihil adfirmaverimus, praesertim cum, quae de funere tradunt, parum similia sint.

---

115. p. 25 sqq.

116. Quod Herodianus Saturninum tribunum, Dio centurionem dicit, ad rem nihil efficit, quoniam Herodianus rerum Romanarum peritiam minimam habebat, et, ut infra videbimus, ille eorum fons Latina lingua usus esse videtur.

117. cf. 75, 7, 4: *ἐφ᾽ οἷς δῆλος γενόμενος* (scil: *ὁ Σεουῆρος*) *ὡς οὐδὲν εἴη αὐτοκράτορος ἀγαθοῦ* — (cf. notam Boissevainii).

Narrationem autem de Getae caede simillimam fuisse apud utrumque (Dio 77, 2, 2—6; Her. IV 4, 3) etiam Herodiani locus mutilatus docet: vel id ab utroque narratur Juliam matrem sanguine Getae inquinatam esse.

Neque minor inter eos concordia est de eis, quae fratre occiso Caracalla fecerit. Sed haec quoque eiusmodi sunt, ut facile intellegatur Herodianum e Dione non hausisse, quamquam huius locus valde contractus est. Nam cum Herodianus notet id populum movisse, quod sub vesperum imperator per vias urbis cucurrit (§ 4: *ταραχή τε τὸν δῆμον κατεῖχεν ὁρῶντα περὶ δείλην διὰ μέσης φερόμενον τῆς πόλεως δρόμῳ τὸν βασιλέα)* idem apud Dionem extat (§ 1: *ὁ δ᾽Ἀντωνῖνος καίπερ ἑσπέρας οὔσης τὰ στρατόπεδα κατέλαβε, διὰ πάσης τῆς ὁδοῦ κεκραγὼς ὡς ἐπιβεβουλευμένος καὶ κινδυνεύων).* In viis urbis eum clamasse Herodianus non narrat, sed in palatio et in castris; voces autem eius easdem tradit (§ 6: *ἐβόα δὲ πεφευγέναι κίνδυνον καὶ ἐπιβουλὴν πολεμίου καὶ ἐχθροῦ;* cf. § 4: *ἐβόα μέγαν κίνδυνον ἐκπεφευγέναι μόλις τε σωθῆναι).* Caracallam primo milites caedem Getae non docuisse, sed obscure indicasse apud Dionem servatum non est; contra eum magnis promissis militum animos placasse uterque habet. Quod vero Caracallam dicentem facit Dio: *ὑμέτεροι οἱ θησαυροὶ πάντες,* id amplius exsequitur Herodianus.

Post Getae necem Caracalla fratris servos et familiares occidit; qua de re tam longe Dio refert, ut etiam Xiphilinum patientia defecerit[118]; neque dubitamus, quin hoc loco in odium Caracallae rem de suo auxerit. Tamen hic quoque fontis illius indicia agnoveris, vel hisce verbis: (Her. IV 6, 1) *Καὶ οἱ ὄντες ἐν τοῖς βασιλείοις ἔνθα ἐκεῖνος ᾤκει* — (Dio 77, 4, 1) *ὅς πού τις καὶ ἔτυχεν ἐν τῷ βασιλείῳ ὤν;* nihil tamen hinc colligere conamur, quoniam illum consensum fortuitum putare licet. Herodianum vero e Dione

118. cf. Dio 77, 6, 1.

non hausisse inde intellegitur, quod de Papiniano, de Chilone nihil dicit nec numerum eorum, qui necati sunt (viginti milia Dio prodit 77, 4, 1), tradit.

Rarius iam apparent vestigia eius auctoris, quem Dio et Herodianus adhibuerunt. Neque id mirum est; nam quo longius procedunt in historia enarranda, eo magis ipsorum memoria sufficit. Sed magnum restat exemplum, quo quam maxime firmatur sententia nostra. De caede enim a Caracalla Alexandriae edita plane diversa tradunt Her. IV 9 et Dio 77, 22 sq., ut nemo coniciat eos inter se cohaerere. Sed M. Bang[119] declaravit ea, quae in exc. Val. *περὶ ἀρετῆς* servata sunt de Alamannis 77, 13, 5 falso loco legi et inserenda esse capiti 22[120]. Ordine fragmentorum ita mutato caput illud cum Herodiano adeo consentire, ut utrumque artissime cohaerere appareat, v. d. docuit. Et cum ille in medio relinquat, utrum Herodianus e Dione an uterque ex alio fonte hauserit, ostendisse nobis videmur, quid de ratione, quae inter eos intercedat, iudicandum sit. Jam locos adferimus, ut magis eluceat cognatio eorum; sed ne abutamur lectoris patientia, gravissimos tantum locos eligimus. Conferas igitur:

Her. IV 8, 6:	Dio 77, 22, 1:
ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐστέλλετο, πρόφασιν μὲν ποιούμενος ποθεῖν τὴν ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ κτισθεῖσαν πόλιν.	*ὥρμησεν ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, . . ποθεῖν αὐτοὺς προσποιούμενος.*

De Caracallae in Alexandrinos irae causa legimus:

---

119. 'Ein verschobenes Fragment des Cassius Dio' in Herm. 41, 1906 p. 623—629.

120. Quamquam Bangio alioquin adsentior, tamen hoc non probo verba illa inserenda esse 22,2 inter '*ἀπέκτεινε*' et '*μετὰ δὲ τοῦτο*'. Contra mihi videntur collocanda esse initio § 3, ubi Xiphilinus cetera omittit, quae crudeliter a Caracalla Alexandriae facta sunt (*καὶ ἵνα τὰς κατὰ μέρος συμφορὰς τὰς τότε κατασχούσας τὴν ἀθλίαν πόλιν παρῶ, . .*).

Her. VI 9, 3:

πολλὰ τοίνυν ἐκείνων αὐτὸν σκωψάντων ἔς τε τὴν τοῦ ἀδελφοῦ ἀναίρεσιν, καὶ τὴν πρεσβῦτιν Ἰοκάστην καλούντων, ἐκεῖνον δὲ χλευαζόντων ὅτι δὴ μικρὸς ὢν Ἀλέξανδρον καὶ Ἀχιλλέα γενναιοτάτους καὶ μεγίστους ἥρωας ἐμιμεῖτο, —

Dio 77, 22, 1:

ἀκούων γὰρ ὅτι διαβάλλοιτο καὶ σκώπτοιτο παρ᾽ αὐτῶν ἐπί τε τοῖς ἄλλοις καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ τῇ ἀδελφοκτονίᾳ, — —

De caede ipsa referunt:

Her. IV, 9, 3—6:

τοιαῦτά τινα παίζειν αὐτῶν δοκούντων, ὀλέθρια καὶ ἐπίβουλα κατ᾽ αὐτῶν σκέψασθαι τὸν Ἀντωνῖνον ἠνάγκασαν, φύσει ὄντα ὀργίλον καὶ φονικόν. — διὰ προγράμματος πᾶσαν τὴν νεολαίαν ἔς τι πεδίον κελεύει συνελθεῖν, φήσας ἐς τὴν Ἀλεξάνδρου φάλαγγα βούλεσθαι συστήσασθαι . ., ὁ δ᾽ Ἀντωνῖνος . . αὐτοὺς . . τὸ στρατιωτικὸν πᾶν ἐκυκλώσατο. . . ὑφ᾽ ἑνὶ δὲ σημείῳ προσπεσόντες πανταχόθεν οἱ στρατιῶται τὴν ἐν μέσῳ πᾶσαν νεολαίαν, καὶ εἴ τινες ἄλλως παρῆσαν, παντὶ τρόπῳ φόνων ἀναιροῦσιν, ὡπλισμένοι τε ἀόπλους καὶ πανταχόθεν περιειληφότες.

Dio 77, 13, 4—5:

οἱ μὲν γὰρ ἠγνόουν οἱ δὲ παίζειν αὐτὸν ἐδόκουν. ἐξ οὗ δὴ καταφρονήσας αὐτῶν οὐδὲ ἐκείνων ἀπέσχετο, ἀλλ᾽ οἷς συμμαχήσων ἀφῖχθαι ἔλεγεν, τούτους τὰ τῶν πολεμιωτάτων ἔδρασε· συνεκάλεσε γὰρ τὴν ἡλικίαν αὐτῶν ὡς καὶ μισθοφορήσουσαν καὶ πᾶσαν ἀπὸ παραγγέλματος, αὐτὸς τὴν ἀσπίδα ἀναδείξας, ἐκυκλώσατο καὶ κατέκοψε, καὶ τοὺς λοιπούς, περιπέμψας ἱππέας, συνέλαβεν·

His locis collatis cum Bang dubitet, utrum Herodianus e Dione an uterque ex eodem fonte hauserit, declarasse nos putamus et Dionem et Herodianum eundem auctorem adhibuisse.

Jam ne longiorem faciamus sermonem, monemus etiam de Caracallae caede eos eadem, qua saepe vidimus, ratione inter se congruere. Nam de epistula Materniani soli tradunt

Dio 78, 4, 2 sqq. et Herodianus IV 12, 3 sqq.; sed nescit Herodianus illud oraculum Materniano ex Africa nuntiatum esse nec eum duas epistulas ad Caracallam dedisse. Sed qua ratione epistula Materniani in Macrini manus venerit cum amplius narret Herodianus, rhetorem recognoscimus; etiam de Serapione silet, ut cuius non interesset singulas res accurate exsequi, sed eas tantum, quae ad ipsam rem pertinere ei viderentur. Quibus vero causis Martialis motus sit, ut Caracallam interficeret, de iis quoque dissentiunt, ut nos quidem putamur. Herodianus hoc loco rem mutavit, quippe cui incredibile videretur eum propter laesam honoris cupiditatem imperatorem necasse; utraque causa eum adductum esse credit Domaszewski[121]; quod Herodianus reliquos caedis conscios omittit, recte vidit Domaszewski l. l. nullius esse momenti, cum Martialis solus caedem conficiat. Inter Edessam et Carrhas Caracallam occisum esse uterque scriptor consentit; sed Herodianus, ut supra[122] commemoravimus, eum Carrhis Edessam, Dio Edessa Carrhas iter fecisse dicit. Quomodo autem in eo itinere Martialis scelus illud commiserit, plane conveniunt Her. IV 13, 4 sq. et Dio 78, 5, 5: alterum altero usum esse ne hoc quidem loco credideris. Maxime vero inter se congruunt ea, quae de Germanis Caracallae corporis custodibus dicunt (Her. IV 13, 6: *Γερμανοὶ δὲ ἱππεῖς, οἷς [ὁ] Ἀντωνῖνος ἔχαιρέ φρουροῖς τε τοῦ σώματος ἐχρῆτο* — Dio 78, 5, 5—6, 1: *ὁ δὲ δὴ Σκύθης οὗτος οὐχ ὡς καὶ συμμαχῶν αὐτῷ μόνον ἀλλ᾿ ὡς καὶ φρουρὰν αὐτοῦ τρόπον τινὰ ἔχων συνῆν· καὶ γὰρ Σκύθας καὶ Κέλτους, οὐ μόνον ἐλευθέρους ἀλλὰ καὶ δο΄λους, καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀφελόμενος, ὡπλίκει καὶ περὶ αὑτὸν εἶχεν, ὡς καὶ μᾶλλον αὐτοῖς ἢ [τοῖς] στρατιώταις θαρρῶν).* Hic minus verba ipsa respicienda sunt, quam id, quod uterque in Caracallae caedis enarratione de his custodibus loquitur. Quod vero Dio plura verba de hac re facit Herodiano, inde ortum puto, quod Dio illam imperatoris consuetudinem indigne tulit.

121. Rh. Mus. 57, p. 506 sqq.
122. p. 23.

Deinde inter Caracallae et Macrini imperium interregnum paucorum dierum intercessisse uterque dicit. Advento vero imperium a militibus oblatum esse, ut vult Herodianus, Dio quoque scit, sed rem ita narrat, ut facile intellegatur Dionem Advento inimicum fuisse: nam magniloquentiae eius id tribuit, quod re vera factum esse ex Herodiano videmus; quae vero alia ei obicit, declarant Dionis in eum animum. Ex eodem fonte eos hausisse facile tamen perspicitur collatis eis, quae de Adventi excusatione referunt. Her. IV 14, 2: *ὁ δὲ γῆρας προϊσχόμενος παρῃτήσατο* — Dio 78, 14, 2: *ἐπεὶ δ' ὑπεργήρως εἰμὶ ἐκείνῳ αὐτῆς* (scil: *τῆς ἀρχῆς*) *ἐξίσταμαι.* Quod vero Herodianus dicit Caracalla necato Macrinum omni ratione suspicionem vitasse, Dio quoque tradit eamque causam interregni fuisse nuntiat (Her. IV, 13, 7 — Dio 78, 11, 4). Quam ob rem autem Macrinus imperator sit appellatus, iterum pariter tradunt Her. IV, 14, 3 in. et Dio 78, 11, 5—6; cf. 16, 3—4 cum nota Boissevainii, quamquam e loco foede obtruncato nihil colligi potest. Etiam orationem a Macrino habitam esse uterque narrat (Her. IV 14, 4 sqq. — Dio 78, 12, 1), etsi eam orationem, quam Herodianus tradit, ab ipso auctore inventam esse apparet. — Deinde autem in ordine rerum dissentiunt: nam Herodianus statim de Macrini bello Parthico tradit. Id Herodianus mutasse videtur, cum nusquam ordinem rerum servare studeat; ad errorem perductus hoc loco fortasse est fontis testimonio Macrinum propter hostes propinquos imperatorem factum esse (cf. IV 14, 3 in.; Dio 78, 11, 5—6; 16, 3—4).

Iam sequuntur ultimi loci, ubi consensum auctorum videmus. Atque alter de epistula a Macrino ad senatum Romam data non ita magnus est; qua in epistula Macrinum multa de se verba fecisse uterque dicit (Her. V 1, 2 sqq. — Dio 78, 16, 2). Senatus autem quid lectis litteris eius fecerit, eisdem fere narrant verbis:

Her. V 2, 1:
ἀναγνωσθείσης δὲ τῆς τοιαύτης ἐπιστολῆς εὐφημεῖ τε αὐτὸν ἡ σύγκλητος καὶ τὰς σεβασμίους τιμὰς πάσας ψηφίζεται.

Dio 78, 17, 1:
τῆς δ' οὖν πρώτης ἐπιστολῆς ἀναγνωσθείσης καὶ ἐκείνῳ, ὅσα εἰκὸς ἦν, καὶ τῷ υἱεῖ αὐτοῦ ἐψηφίσθη.

Dionem de suo addidisse inde cognoscere nobis videmur, quod c. 16, 2 de eis, quos Macrinus poposcerit honores tradit[123]. Et quo animo Romani novum imperatorem tulerint, pariter narrant:

Her. V 2, 1:
οὐχ οὕτω δὲ εὔφραινε πάντας ἡ Μακρίνου διαδοχὴ ὡς ὑπερήδοντό τε καὶ πανδημεὶ ἑώρταζον ἐπὶ τῇ Ἀντωνίνου ἀπαλλαγῇ.

Dio 78, 18, 4:
ἀγαπητῶς αὐτὸν ἐς τὴν ἀρχὴν ἐδέξαντο, οὐχ οὕτως ᾧτινι δουλεύσουσιν ὡς οὗ ἐστέρηντο ἐνθυμούμενοι.

Hic, ut iam supra diximus, desinere incipiunt indicia consensionis inter Dionem et Herodianum, quae auctoris illius ex quo hauserunt vestigia esse persuasum habemus. Sed quo loco finem libri sui fecerit is auctor, pro certo dicere non possumus. Nam quod de Macrini bello Parthico Herodianus a Dione dissentit, e fontium diversitate ortum putemus necesse non est, quoniam Herodianus hoc ipse deformasse videtur[124]. Sed cum post Macrini mortem ille consensus auctorum nusquam compareat, haud nimis a vero aberrabimus dicentes finem illius auctoris fuisse imperium Macrini. Nam de Elagabalo quoque in eis, quae ante mortem illius facta sunt, consentiunt, in reliquis discedunt, excepto eo, quod de nominibus nepotum Maesae dissentiunt: nam quem dicit Dio Avitum, Herodianus Bassianum nominat,

123. Herodianus, quae Dio Macrinum duabus epistulis senatui nuntiasse tradit, in unam epistulam contrahit: hoc quoque e fonte Herodiani error fluxisse potest, quo obcaecatus rerum ordinem mutavit.

124. cf. Fuchs W. St. 18 p. 213 sq.

quem vero Dio Bassianum, eum Herodianus Alexianum[125]; sed id ne pluris aestimemus, monet cum nota illa Herodiani in nominibus reddendis neglegentia[126] tum quod de defectione Juliani militum plane consentiunt (Her. V 4, 1 sqq. — Dio 78, 32); praeterea similia reperias haec de Maesa verba:

Her. V 3, 2:

παρὰ πάντα οὖν τὸν τῆς ἀδελφῆς βίον ἐν τῇ βασιλείῳ διέτριψεν αὐλῇ χρόνου πολυετοῦς, παρ᾽ ὃν Σεβῆρός τε καὶ Ἀντωνῖνος ἐβασίλευσαν.

Dio 78, 30, 3:

. . τῆς ἀδελφῆς Ἰουλίας, ᾗ παρὰ πάντα τὸν τῆς βασιλείας αὐτῆς χρόνον συνεγεγόνει, διολομένης.

De pugna, qua Macrinus victus est, Herodianus alia ac Dio habet, sed de fuga eius plane consentiunt (Her. V 4, 8 — Dio 78, 39, 3). Quae vero de ipsa Macrini morte tradunt, quamquam in Dionis epitoma corrupta sunt, tamen cum Herodiano cuniungi possunt; sed in eo dissentiunt, quod Herodianus Diadumenianum filium una cum Macrino necatum dicit.

Hic vero auctores nostri convenire desinunt: nam cum Maesam revera imperium administrasse dicat Herodianus, a Dione discedit, qui Elagabalum ipsum id fecisse tradit et tot hominum caedes ei vitio dat. Elagabalum Nicomediae hibernasse apud utrumque legimus (Her. V 5, 3 — Dio 79, 7, 3), sed de consuetudinibus eius Herodianum uberius referre notandum est. Cum autem supra statuerimus Herodianum Syrum fuisse, hoc quoque de eis, quae ipse viderat, narrare videtur; velut quae de lapide Elagabali dicit, vera sunt (cf. Mordtmann, Ztschr. d. dtsch. Morgenlaend

---

125. cf. Porrath 'Der Kaiser Alexander Severus' Halis Sax. diss 1876 p. 7. Groebe R. E.² s. v. Aurelius n. 221. Prosopogr. imp. Rom. I p. 194 n. 1204. Hopkins 'The life of Alexander Severus' Oxford 1907 p. 28 sq.

126. cf. maxime quae de Lucillae coniuratione tradit I 8, 3 sqq.

Gesellschaft 31, 1877 p. 91 sqq. Cohen IV² p. 503. Roscher I p. 1230. Dieterich 'Die Grabschrift des Aberkios' Lipsiae 1896). —

Unus de Elagabalo accedit locus, quem ex illo auctore fluxisse coniecerit quispiam; eum dico, ubi de matrimoniis Elagabali referunt: sed quoniam hoc loco nulla alia in re consensus inter eos intellegitur quam ea, quod uno capite uterque de omnibus fere eius coniugibus loquitur, hunc locum illi auctori non tribuendum, sed casu Dionem et Herodianum convenire putamus; quo vero loco maxime consentiunt, hic est:

Her. V 6, 2:

μετ' ἐκείνην δὲ προσποιησάμενος ἐρᾶν, ἵνα δὴ καὶ τὰ τῶν ἀνδρῶν πράττειν δοκοίη, παρθένου τῇ Ῥωμαίων Ἑστίᾳ ἱερωμένης ἁγνεύειν τε πρὸς τῶν ἱερῶν νόμων κελευομένης καὶ μέχρι τέλους τοῦ βίου παρθενεύεσθαι, ἀποσπάσας αὐτὴν τῆς ἑστίας καὶ τοῦ ἱεροῦ παρθενῶνος γυναῖκα ἔθετο, ἐπιστείλας τῇ συγλήτῳ καὶ παραμυθησάμενος ἀσέβημά τε καὶ ἁμάρτημα τηλικοῦτον, φήσας ἀνθρώπινόν τι πεπονθέναι πάθος. ἔρωτι γὰρ τῆς κόρης ἑαλωκέναι, ἁρμόζοντά τε καὶ σεβάσμιον εἶναι γάμον ἱερέως τε καὶ ἱερείας. πλὴν καὶ ταύτην μετ' οὐ πολὺ ἀπεπέμψατο, τρίτην δὲ πάλιν ἠγάγετο, ἀναφέρουσαν τὸ γένος ἐς Κόμοδον.

Dio 79, 9, 3—4:

Ἀκυλίᾳ Σευήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας· ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ Ἑστίᾳ ἀσεβέστατα ᾔσχυνεν. ἐτόλμησε δὲ καὶ εἰπεῖν 'ἵνα δὴ καὶ θεοπρεπεῖς παῖδες ἔκ τε ἐμοῦ τοῦ ἀρχιερέως ἔκ τε ταύτης τῆς ἀρχιερείας γεννῶνται, ταῦτ' ἐποίησα. καὶ ἐφ' οἷς αὐτὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ αἰκισθέντα εἶτα ἐς τὸ δεσμωτήριον ἐμβληθῆναι κἀνταῦθα θανατωθῆναι ἔδει, ἐπὶ τούτοις ἐκαλλωπίζετο. καὶ οὐδ' ἐκείνην μέντοι ἐπὶ πολὺ κατέσχεν ἀλλὰ ἑτέραν, εἶθ' ἑτέραν καὶ μάλα ἄλλην ἔγημε, καὶ μετὰ τοῦτο πρὸς τὴν Σευῆραν ἐπανῆλθεν[127].

---

127. De qua tertio loco verba facit Herodianus, de ea loquitur Dio 79, 5, 4.

Nos igitur, ut diximus, hunc de Elagabali matrimoniis vel strupris locum non existimamus indicium illius fontis, e quo Dio et Herodianus hauserunt; nam de virgine tantum Vestali maior apparet consensus in enarrandis Elagabali verbis, quem, cum solus reperiatur de toto Elagabali imperio, fortuitum putare necesse est; praeterea credibile est id dictum, e quo intellegebatur principis turpis animus, in omnium oribus versatum esse. — Macrini igitur mortem finem illius auctoris fuisse recte coniecisse nobis videmur.

Jam paucis comprehendamus, quibus de causis negemus Herodianum ex ipso Dione hausisse. Ac primum quidem id inde colligendum est, quod post mortem Macrini cum Dione consentire desinit; deinde — id quod maximum arbitramur argumentum — Dionem videmus saepe plura quam Herodianum referre iis locis, quibus alioquin — saepe in ipsis verbis — conveniunt, eaque eiusmodi esse, ut intellegatur Dionem ipsum ea addidisse; cuius rei exempla satis multa supra contulimus. Neque aliter explicari possunt discrepantiae, quas sententiam, quam protulimus, amplexi facile, ut nobis videmur, dissolvimus; nunc pauca adiciemus. De Marci imperatoris morte Herodianus I 3—4 plura tradit quam Dio 71, 33, 4^2—34, 1, sed orationes merae sunt, quas Herodianum ipsum finxisse nemo nescit; sed in re haud levi Dio ab Herodiano (et a ceteris fontibus) discedit, cum dicat Marcum a medicis Commodo faventibus interfectum esse. Hoc quoque loco Dionem ipsum de suo addidisse intellegimus e verbis eius 'ὡς ἐγὼ σαφῶς ἤκουσα' (33, 4^2). —

De eis, quae in senatu gesta sint, Dionem semper fere accuratius referre quam Herodianum mirum non est neque ullo adminiculo ea de re eget nostra sententia. Tamen hic commemorandus videtur locus Dionis 73, 3, 2—4, quocum comparamus Her. II 3, 2—3; hic Dio nuntiat Pertinacem Claudium Pompeianum plurimum honorasse, quod idem de Glabrione dicit Herodianus l. l. Sed hoc de Glabrione Dio quoque scire videtur cum narret 'καὶ τοῦτο

καὶ τὸν Γλαβρίωνα τὸν Ἀκίλιον ἐποίει'. Sed ne hoc loco consensum auctorum statuamus, impediunt ea, quae apud Dionem sequuntur: '*καὶ γὰρ ἐκεῖνος τότε καὶ ἤκουεν καὶ ἔβλεπε;* hoc referendum est ad ea, quae de Pompeiano dixerat Dio § 2 eum Commodi temporibus propter oculorum lippitudinem ruri vixisse. Quae igitur de Glabrione leguntur, significant eum quoque Commodo imperante ad rem publicam non accessisse. Sed id a vero abhorret, quoniam Glabrio anno 186 p. Chr. n. una cum Commodo iterum consul fuit[128]. Praeterea illud '*καὶ γὰρ ἐκεῖνος τότε καὶ ἤκουεν καὶ ἔβλεπε* omnino sensu caret: nusquam enim traditur de Glabrionis aurium vel oculorum morbo. In summam igitur suspicionem venit ille Dionis locus nec dubitari potest, quin interpolatus sit ab homine quodam, qui Herodiani libro diligenter lecto meminerat ab eo Glabrionem hoc loco nominari; firmatur autem nostrum iudicium eo, quod in Xiphilini codicibus illud absurdum deest[129]: iniuria igitur a Boissevainio in contextum receptum est. — Qua difficultate dissoluta intellegimus Herodianum idem, quod de Pompeiano refert Dio, de Acilio Glabrione narrare. Qua autem ratione hoc explicetur, nos ignorare concedimus nisi eadem qua supra[130] similia explicavimus.

De Perennis moribus rebusque gestis Dionem favore quodam adductum narrationem mutasse apud viros doctos constat (Dio 72, 9—10; cf. Her. I 8—9)[131].

Deinde mensium nomina a Commodo mutata Herodianus breviter, Dio longius narrat (Her. I 14, 8 — Dio 72, 15, 4—5) allata epistula, quam ad senatum Commodus dedit.

Maxime vero notandum est utrumque referre de

---

128. cf. titulos, velut C. I. L. VI 420. 1980. XIV 2590 v. Prosop. imp. Rom. s. v.

129. cf. notam Boissevainii.

130. p. 32 sq.

131. cf. Sievers Philol. 26 p. 37 sqq. V. Herzog 'Geschichte und System der roemischen Staatsverwaltung' II Lipsiae 1887 p. 410. Kreutzer 'de Herodiano' p. 29. Duncker Philol. 33 p. 157 sqq. Heer p. 56. Aliter Zürcher p. 238 sqq.

struthionibus a Commodo necatis, re levissima (Her. I 15, 2 — Dio 72, 21, 1—2; reliqui scriptores de ea re tacent). Sed Dionem sua memoria nisum nonnulla addidisse apparet, cum de senatorum timore referat et quae ipse tum fecerit; legas autem verba eius '*προσῆλθεν ἔνθα ἐκαθήμεθα* · · · *ἐνδεικνύμενος ὅτι καὶ ἡμᾶς τὸ αὐτὸ τοῦτο δράσει*' et cetera quibus Dio tradit se senatores dementiam principis ridentes dolo servasse.

De Commodi caede supra[132] rem in ambiguo reliquimus. Hoc loco autem iam dicendum est id, quod de caede Domitiani legitur apud Dionem 67, 15, ab epitomatore non additum sed translatum esse. Nam Herodianum eandem narrationem ante oculos habuisse vel ex eis verbis elucet, quibus de tabula refert, in qua Commodus nomina eorum scripserit, quos necari iuberet: Her. I 17, 1 *γραμματεῖον τούτων δὴ τῶν ἐκ φιλύρας ἐς λεπτότητα ἠσκημένων, ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων, γράφει κτλ.* — Dio 67, 15, 3: *τὰ ὀνόματα ἐς σανίδιον φιλύρινον δίθυρον ἐσγράψας κτλ.* Quare existimamus Dionem ex eodem fonte atque Herodianum eadem de Commodi caede narrasse, epitomatorem autem rem transposuisse; neque enim raro loci inveniuntur, ubi relationes Dionis falso loco leguntur; cf. quae Bang[133] docuit et quae nos dubitanter coniecimus de loco Her. II 12, 2 et Dio 75, 8, 5[134]. — Heerio et Schulzio (l. p. 18 l.) igitur adstipulamur.

De Herodiani libro secundo nihil addendum videtur.

De tertio libro Herodianeo haec addimus: Dio fonti quaedam addidisse videtur de pugna prope Nicaeam commissa; ipse autem Nicaeae natus erat. Deinde eum confudisse, quae in fonte invenerat, apparet e vocabulo illo '*κρημνὸς βαθύς*' de quo supra egimus. De Byzantio autem munito et expugnato Prisco Nicaeensi multa debet; sed ipse addiderit, quae Romae gestae essent ante belli inter

132. p. 18.
133. cf. p. 50 sqq. n. 119 sqq.
134. p. 40.

Severum et Albinum initium, an auctorem sequatur et augeat, in medio relinquendum videtur; nam inde quod Herodianus ea tacet non colligam ea in fonte defuisse; cf. quae supra ea de re diximus[135]. De pugna vero Lugdunensi quae inter eos existunt discrepantiae, inde ortae sunt, quod Dio litteris Severi usus esse videtur[136], a quibus tamen, ut ipse dicit (75, 7, 3), in enarranda Albini morte discedit. Nec minus Dionis manum agnoscimus in eis, quae de Severi Romam reditu, de filiis eius, de Plautiano tradit.

Deinde si quartum Herodiani librum cum Herodiano comparamus, ut minora — velut sacrificia ob concordiam fratrum facta (Dio 77, 1, 4) — omittamus, de Getae caede quamquam Dio cum Herodiani loco mutilato maxime consentit, tamen addidit nonnulla, imprimis de Getae amicis interfectis — eaque odio Caracallae motus; idem intellegas ex eis, quae de virginibus Vestalibus tradit et de Caracallae Sullae admiratione, cuius causam crudelitatem illius dicit. Sed dubito an idem iudicare liceat de Caracallae in Asiam itinere; nam Nicomediae quae gesserit, Dionem ipsum comperisse verisimile est; de Antiochia autem, si in universum spectaveris, Herodianus melior testis est; Alexandriae vero quae gesta sint, apparuit Dionem et Herodianum ita consentire, ut non alter ex altero hauserit, sed eodem fonte uterque sit usus. Epistulas tamen, quas duas (77, 22, 3 et 23, 2[a]) Alexandria a Caracalla ad senatum missas Dio memorat, de suo addidit. Sed quae de Caracallae matrimonio cum Parthorum regis filia leguntur, ab Herodiano aucta et deformata[137] videntur, ut studio rhetorico satis-

---

135. p. 30.

136. cf. p. 20 sq.

137. cf. Mommsen, R.G. V^5 p. 418. A. de Gutschmid 'Geschichte Irans' Tubingae 1888 p. 155 sq. B. Bockhoff 'De expeditionibus M. Aurelii Antonini Romanorum imperatoris'. Diss. Monasterii 1868 p. 43 sqq. F. W. Drexler 'Caracallas Zug nach dem Orient und der letzte Partherkrieg'. Diss. Halis Sax. 1880 p. 52 sq.

faceret: sponsum enim ante ipsum nuptiarum diem sponsae propinquos noctu festum diem celebrantes necasse magno cum gaudio eum referre facile perspicimus. Quae tandem de Parthis victis Caracalla ad senatum scripserit Dionis ipsius sunt.

Haec fere sunt, quae addenda putabamus. Qualis igitur fuit fons, quem a Dione et Herodiano adhibitum esse vidimus? Nomen certum scriptoris nos enuntiaturos esse vix quisquam existimabit: neque enim usquam nomen ullum legitur, neque in Herodiano neque in Dione; levius autem de aliquo auctore ne coniciamus, monent nos ea, quae de scriptorum historiae Augustae fontibus viri docti his annis disputaverunt. Sed quae de fonte nostro dicere audemus, haec sunt: initium cepit a Commodi imperio et desiit in Macrino, ut quidem putamus, in morte eius, neque tamen hoc pro certo contendimus. Quod initium a Commodi imperio statuimus, ea causa est, quod et Herodianus totum librum indidem incipit et Dio novam operis sui partem[138]. Macrini autem tempora finem libri fuisse unde colligamus, supra diximus. Is auctor minus studebat notis chronologicis, sed de imperatorum vita, moribus, rebus gestis in universum bene erat instructus; eum a parte senatoria stetisse inde intellegimus, quod et eos imperatores, qui senatum colebant — Pertinacis memini — laudat et senatum ut legitimum rerum rectorem depingit imperio vacante — cf. Juliani mortem. — In qua imperii parte auctor scripserit, affirmare dubitamus neque de ea re conicere magnopere interest; scripsisse autem oportet eum paulo post Macrini mortem Elagabali temporibus, quoniam de illius turpissimi principis vitiis nihil tradit. Latina lingua eum usum esse coniecerim cum inde quod non saepius Dio et Herodianus in verbis ipsis conveniunt tum quod Herodianus[139] ut imperatorem

---

138. Dio 72, 4, 2.

139. Ita id quoque explicatur, quod Saturninum centurionem (Dio 76, 3, 2) tribunum dicit III 11, 4.

Romanum significet, plerumque vocabulum 'βασιλεύς', non 'αὐτοκράτωρ' usurpat[140]. — Hunc auctorem ab Herodiano et Dione adhibitum esse putamus ea ratione, ut non illo solo niterentur, sed, id quod e Dionis potissimum libro saepe elucet, sua memoria multa adderent — quo longius enim in opere suo Dio procedit, eo plura eius rei vestigia sunt; neque vero ea in Herodiani libris omnino desiderantur: ubi enim dicit 'εἴδομεν' vel similia[141], eum de suo hausisse credibile est. Alios praeterea auctores num adhibuerit Herodianus, dubium est praeter Severi de vita sua commentarium; hunc a Dione quoque adhibitum pluribus locis — pugnae Lugdunensis commonefacio — intellegitur.

Appendix I.

De Herodiani libris VI—VIII.

Carolus Daendliker[142] cum Herodiani librum sextum diligenter examinaret, ostendit Herodianum duo de Severo Alexandro iudicia ferre, quorum altero Severus Alexander laudaretur matrique eius Mamaeae ea, quae in imperio illius vituperanda essent, crimini darentur, altero Alexander ipse ut ignavus et iners depingeretur. Sed cum inde colligeret Herodianum in Alexandri rebus enarrandis duos fontes adhibuisse, erravit; nam eis, quae Fuchs W. St. 17 p. 222 sqq., 18 p. 180 sqq. collegit, satis declaratur eam diversitatem non in Herodiani fontibus positam esse, sed in eius narrandi genere; de Severo autem Alexandro quae Fuchs W. St. 18 p. 187 sqq., p. 195 sq., p. 197 sqq., p. 204 sqq.[143], p. 215 sq.

---

140. cf. Kreutzer 'De Herodiano' p. 7.

141. Ea quoque respicias, quae de Antiochia diximus.

142. l. p. 15 n. 52 lato p. 204—229.

143. Sed cum Herodiani de Alexandri bello Persico narrationem abiciat, eum sequi non possumus.

dicit, plane probamus; quare de ea Daendlikeri sententia nihil amplius addendum esse videtur. Quae deinde de Herodiani libris septimo et octavo idem vir doctus dicit, infra, ubi de Herodiani auctoritate agemus, pluribus disseremus. Sed cum Herodiani de obsidione Aquileiae relationem laudet ac probet, libenter ei adsentimur. Neque tamen credimus Herodianum a milite quodam vel tribuno Maximini audisse, quae narrat, sed eum hoc quoque loco libro usum esse, eoque Graeca lingua scripto, putamus. Nam cum ceteroquin Herodianus ad imperatores Romanos significandos semper fere Graeco vocabulo '*βασιλεύς*' utatur, hic, id est in octavo libro, plerumque vocabulum '*αὐτοκράτωρ*' usurpat[144]. Conferas enim quaeso Romanorum imperatorum significationes, quae libris septimo et octavo leguntur:

βασιλεύς (*βασιλεία* cet.) VII 1, 1. 1, 4. 2, 6. 2, 7. 5, 4. 5, 6. 5, 7. 6, 1. 6, 2. 6, 5. 6, 6. 8, 5. 8, 11. 9, 2. 9, 10. 10, 2.
αὐτοκράτωρ 10, 3.
βασιλικός 10, 5.
βασιλεύς — *αὐτοκρατορικός* 10, 6.
βασιλεύς VIII 3, 2. (4, 2).
αὐτοκράτωρ 6, 3. 6, 5. 6, 6.
βασιλεύς cet. 7, 2. 7, 3.
αὐτοκάτωρ 7, 4.
βασιλεύς 7, 6. 7, 7.
αὐτοκράτωρ — *βασιλεία* 8, 1.
βασιλεύς 8, 3. 8, 6. 8, 7.
αὐτοκράτωρ 8, 7. 8, 8.

Primum igitur reperitur illud vocabulum — quod raro alias in Herodiano legitur — VII 10, 3, ubi de Maximi et Balbini electione agitur; deinde saepe usurpatur usque ad finem[145]: inde colligendum putamus Herodianum de rebus

---

144. cf. Kreutzer 'de Herodiano' p. 7. Nonnulla eius generis collegit Irmisch in editione Herodiani v. IV p. 557.

145. Quod interdum hoc quoque libro vocabulum '*βασιλεύς*' legitur

gestis inde a Maximi et Balbini electione librum Graecum adhibuisse[146] — vel etiam eum ex epistulis Graeca lingua scriptis hausisse, quod diiudicari non potest; fortasse hunc fontem iam cognoscimus in altera de Gordiani senis morte relatione (VII 9, 4 vel 9, 9): sed hoc coniecturae modum non excedere conscius mihi sum.

Jam ut paucis comprehendamus ea, quae hac disputatione de Herodiani fontibus declarasse videmur, haec fere dicenda sunt:

Herodianus fontes suos consulto celavit; tamen ex verbis eius apparet eum Severi de vita sua librum adhibuisse. Ea, quae in primo libro de rebus ad cultum pertinentibus disserit, Verrio Flacco auctore nituntur. Dionis vero historias neque inspexit neque notitiam earum habuit; sed et Dio et Herodianus de rebus inde a Commodi temporibus usque ad Macrini mortem usurpaveruut eundem fontem; quem Latina lingua scriptum fuisse satis probabile est. Usi autem illo sunt ita, ut non unicum auctorem eum haberent, sed multis locis res aliunde sumptas adderent. Deinde refutanda est Daendlikeri de Herodiani in rebus Severi Alexandri enarrandis fontibus coniectura; inde a fine libri septimi Herodiano praesto fuit auctor quidam optimae notae, quem Graeca lingua usum esse coniecerim.

---

nullius momenti est; taedii enim vitandi causa Herodianus non semper eodem vocabulo usus esse videtur.

146. Jam quae p. 274 Daendliker disserit, declarant, quam non verisimilis sit sententia ab eo prolata.

Caput II.

De Herodiani auctoritate.

§ 1. Scriptores historiae Augustae.

Ex ingenti numero eorum, qui de scriptoribus historiae Augustae egerunt, hoc loco, ubi de Herodiano quaestio est, imprimis nominandi sunt Ed. Volckmann[1], Aem. Brocks[2], Ad. Dreinhoefer[3], Car. Daendliker[4], J. J. Mueller[5], Car. Ruebel[6], Gualt. Boehme[7], Th. Mommsen[8], Herm. Peter[9], G. Tropea[10], F. Leo[11], O. Schulz[12], Ch. Lécrivain[13].

---

1. l. p. 5 n. 1 l.

2. 'De quatuor prioribus historiae Augustae scriptoribus'. Diss. Regimonti Pr. 1869.

3. 'De fontibus et auctoritate vitarum quae feruntur Spartiani, Capitolini, Gallicani, Lampridii'. Diss. Halis Sax. 1869.

4. l. p. 15 n. 52 l.

5. l. p. 21 n. 62 l.

6. 'De fontibus quatuor priorum historiae Augustae scriptorum. Pars prior'. Diss. Bonnae 1872.

7. 'Dexippi fragmenta ex Julio Capitolino Trebellio Pollione Georgio Syncello collecta' in 'Comm. phil. Jenens'. vol. II. Lipsiae 1883 p. 1—90.

8. 'Die scriptores historiae Augustae' in Herm. 25, 1890 p. 228—292.

9. 'Die scriptores historiae Augustae. Sechs litterargeschichtliche Untersuchungen'. Lipsiae 1892.

10. 'Studi sugli scriptores historiae Augustae 1—6'. Messanae 1899—1903.

11. 'Die griechisch-roemische Biographie nach ihrer literarischen Form'. Lipsiae 1901 p. 275 sqq.

12. 'Beitraege'.

13. l. p. 20 n. 61 l.

Atque in universum si respicias, tres, ut ita dicam, aetates reperias, quibus hanc quaestionem diverse tractarunt viri docti. Nam initio quidem omnes putabant Herodianum ipsum a scriptoribus historiae Augustae exscriptum esse, deinde post Martinum[14] G. Boehme negavit rem ita se habere, sed adhibuisse historiae Augustae scriptores Dexippum[15]. Postquam autem Dessauii[16] arguta disquisitione redintegratum est virorum doctorum in historiam Augustam incumbentium studium, omnis haec de Dexippo coniectura reiecta est cum a Mommsenio tum a Petero. Et quoniam tam multi doctique viri in hanc rem diligenter inquisiverunt, supervacaneum videtur eam retractare. Satis igitur habemus a Lécrivainio profecti[17] — nam is novissime de hac re quaesivit — eos locos, quibus ab eo discedimus, colligere, ibi, ubi cum Lécrivainio congruimus, tacite eum secuturi.

Ac primum quidem Herodiani similis est v. Marci 28, 10, ubi inter tyrannos Nero et Domitianus exemplorum numero leguntur, qui iidem occurrunt in oratione Marci apud Her. I 3, 4: sed hic consensus unde ortus sit, in ambiguo relinquendum; mihi quidem hoc loco Herodianus adhibitus esse non videtur, sed utrumque rhetorem (compilatorem vitae Marci et Herodianum dico) iisdem exemplis niti mirum non esse puto.

Deinde Zuercher[18] p. 225 sq. quattuor v. Commodi locos ex Herodiano sumptos existimavit: v. Comm. 4, 3 = Her. I 8, 6; v. Comm. 5, 1 = Her. I 11, 5; v. Comm. 5, 2—3 = Her. I 8, 1—2 in.; v. Comm. 17, 3 = Her. I 7, 5. Sed eum iam J. J. Mueller

14. 'De fontibus Zosimi'. Diss. Berolini 1866.

15. l. l. p. 13. Martinus p. 17.

16. 'Ueber Zeit und Persoenlichkeit der Scriptores historiae Augustae' in Herm. 24, 1889 p. 337—392.

17. Etsi probamus Kornemanni ('Kaiser Hadrian und der letzte grosse Historiker von Rom' Lipsiae 1905 p. 6 sq.) iudicium.

18 l. p. 7 n. 13 l.

p. 67 sqq. refutavit. Novissimis autem temporibus G. Tropea[19] de tertio illo loco (v. Comm. 5 = Her. I 8) idem coniecit atque Zuercher; eius argumentationem refellit Lécrivain p. 151, cui adsentitur H. Peter[20]. Et quamquam negari non potest quasdam similitudines existere inter v. Commodi et Herodianum[21], tamen recte iudicavit Heer[22] nihil in ea vita ex Herodiano sumptum esse.

Eos locos, quibus in sequentibus vitis Herodianus citatur[23], facile e contextu solvi posse et postea a compilatore additos videri notum est, ut nihil de ea re addendum sit.

Neque quicquam in prioribus vitis ex Herodiano fluxisse (Lécrivainium, qui v. Car. 7, 1 Herodiani vestigia agnoscere sibi videtur, sequi non possumus) iudicandum est praeter v. Albini et v. Macrini. Ac de v. Albini Lécrivain p. 254 sqq. disseruit; quibus haec addimus;

v. 11, 1. Lécrivainio adsentimur hunc locum neglegenter ex Herodiano (III 6, 9f.) sumptum esse.

v. 12, 3. Ut supra p. 20 diximus, hunc locum ex Herodiano fluxisse putamus. Luguduni enim Albinum interfectum esse praeter Graecos solum chronicon imperiale tradit; de quo hoc loco vix cogitari potest. Severum autem post Albini mortem propter litteras ad eum missas graviter in senatores consuluisse nuntiat Her. III 8, 6. Aliter de hoc loco iudicavit praeter Lécrivainium Schulz 'Beitraege' p. 80; p. 128. — Quod vero Lécrivain p. 259

19. l. p. 65 n. 10 l.: V. Commodo. 1901 p. 43.

20. Bursian, Jahresberichte v. 130 p. 20.

21. cf. potissimum v. Comm. 17, 3: 'capillo semper fucato et auri ramentis inluminato' Her. I 7,5: '*ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προϊόντι ἐπιπαττέσθαι*'. Illum locum Heer p. 117 bono eius vitae fonti tribuit, Schulz ('Kaiserhaus' p. 178) ab eodem abiudicat; hoc loco Schulzio adsentimur.

22. p. 6; p. 56 n. 138; p. 130 sqq.

23. v. Diad. 2,5; v. Al. Sev. 52, 2, 57, 3.

putat omnem v. Albini a Capitolino compositam esse, eum sequi dubitamus; de quo v. infra. —

v. Macrini (cf. Lécrivain p. 186 sqq. Klebs Rh. Mus. 44 p. 457):

10, 4 ʻdicitur' = Her. (item Lécrivain).

15, 1 recte iudicat Lécrivain ex Herodiano sumptum, id quod apperet vel uno vocabulo ʻsuburbano' (cf. Her .V 4, 12 ʻπροαστείῳ').

In v. Macrini quae ex Herodiano fluxerunt, postea addita esse recte intellexit Peter p. 76.

In v. Heliogabali Lécrivainio concedimus (p. 210) Herodianum adhibitum non esse; sed virum doctum errare putamus, cum existimet Marium Maximum auctorem eius vitae esse.

Idem dicendum est de scriptore v. Alexandri Severi; de Herodiani in ea vita vestigiis cf. Thiele p. 3 sqq.

Jam in vitis inde a Maximinis usque ad Maximum et Balbinum Herodiano plurima deberi satis constat[24], sed ita, ut in v. Max. nihil inveniatur fide dignum, quod non ex illo fluxerit praeter brevem notam e chronico imperiali sumptam et pauca Dexippea, in reliquis vitis nonnulla testimonia sint, quae ex Herodiano non manaverint. In vita Gordianorum plura Dexippi vestigia occurrunt, quae recte indicavit Lécrivain (p. 282 sqq). Neque eis, quae de v. Max. et Balb. (p. 296 sqq.) disseruit, quicquam addendum videtur. — De v. trig. tyr. 32, 1 cf. Schwartz[25] p. 292 sq., qui de eis quoque locis, quibus in historia Augusta Dexippi nomen citatur, recte iudicavit et de errore, quo nomen ʻHerodianus' interdum corruptum est in ʻArrianus'.

Jam in universum si quaerimus, qua ratione in historia Augusta adhibitus sit Herodianus, cum Petero[26] dicendum

---

24. cf. Mommsen p. 268.
25. R. E.[2] V p. 288 sqq.
26. p. 246.

est in omnibus vitis additamenta ex eo petita facile e contextu verborum solvi posse ideoque probabiliter a redactore quodam adiecta esse — praeter v. Albini, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini. Sed quae inde collegit Peter p. 146 Capitolinum[27] postremum historiae Augustae compilatorem fuisse, valde dubia nobis videntur. Etsi enim libenter concedimus Capitolinum aliquando vitas priores retractasse posterioresque illas, Maximinorum sqq. dico, addidisse, et verisimile esse omnes locos ex Herodiano sumptos ab eodem homine additos esse[28], tamen ea de causa nihil de illo compilatore conicere audemus, quod verisimile non est Theodosii demum temporibus, quibus ultimam compilationem factam esse constat, vitas illas Albini Maximinorum cet. conscriptas esse. Atque eo magis res in ambiguo relinquenda est, quod omnes fere historiae Augustae scriptores alius alia de causa iam in illam suspicionem venerunt[29]; nos quidem desperamus ea de re quicquam certi erui posse. Id tamen pro certo dicendum est Herodianum ipsum ab historiae Augustae scriptoribus inspectum esse, nec per medium Dexippum, ut volebant Martinus et Boehme, nec per Cordum, ut putabat Dreinhoefer p. 15 sq.

§ 2. Ammianus Marcellinus.

Cum priores quattuordecim libri, quibus eum tempora inde a Nervae[30] imperio enarrasse constat[31], aetatem non tulerint, difficilis est quaestio, num Herodiano usus sit. Sed e compluribus eorum librorum, qui servati sunt, locis

---

27. Peterum sequitur Lécrivain p. 395 sqq.

28. Quamquam non eadem ratione in singulis vitis Herodianus adhibitus est; cf. Peter p. 76 sqq.

29. cf. Lécrivain p. 395. Eas partes, quas Capitolino Peter, his diebus Schulz Vulcacio Gallicano tribuit ('Kaiserhaus' p. 208 n. 489).

30. Amm. 31, 16, 9.

31. Aliud videtur Hugoni Michael 'Die verlorenen Buecher des A. M.' Vratislaviae 1880; quem refellit L. Jeep Rh. Mus. 43, 1888 p. 60—72.

colligitur Ammianum Herodianum adhibuisse, quod iam diu observatum est. Recentioribus autem annis ea de re egit Ernestus Schneider[32]. Qui cum Ammiani libros scrutaretur, non solum in res ab eo narratas sed etiam in dicendi genus inquisivit, studens demonstrare Ammiani genus dicendi multis in rebus ab Herodiano pendere; qua in re, ut fieri solet, certa dubiis miscuit. Ea hoc loco praetermittimus, cum nostra intersit scire, num ad ea tempora depingenda, quae enarravit Herodianus, librum eius adhibuerit Ammianus et, si adhibuerit, utrum solo eo an alio quoque auctore usus sit. Quare breviter singulos locos, qui momenti aliquid habere nobis videntur, colligimus:

21, 12, 1, quem locum attulit Schneider p. 58—59, fortasse Herodiani (III 2) narrationem reddit; certum dici non potest.

22, 9, 6 (cf. Sievers Philol. 26 p. 32; Schneider p. 46). Hoc loco manifestum est Ammianum 'in actibus Commodi' Herodianum ita secutum esse, ut verba eius ipsa exscriberet[33].

22, 15, 1 (Sievers p. 32) Ammianus 'in actibus Severi' Aegypti mentionem fecerat; cum autem de Aegypto Herodianus in Severi rebus enarrandis prorsus taceat, hoc loco ab Herodiano discessit Ammianus[34]. Idem dicendum est de ..4, 6, 1 (cf. Schulz 'Beitraege' p. 54 n. 78).

26, 6, 8 (cf. Schneider p. 47, 48, 55, 59) Herodiano debetur.

26, 6, 14 quae de Didio Juliano leguntur, aut e Dione aut ex Herodiano[35] fluxisse necesse est; vix igitur dubitaveris, quin Herodiano debeantur.

26, 6, 20 Herodianea esse intellexit Schneider p. 58 sq. Sed ne in horum quidem temporum narratione ex Herodiano

---

32. 'Quaestiones Ammianeae'. Diss. Berolini 1879 p. 44—60.

33. cf. supra p. 8.

34. contra cf. Dio 75, 13. v. Sev. 16, 9.

35. cf. supra p. 43 sqq.

solo eum pendere docet 14, 1, 8, ubi Ammianus de Maximini coniuge loquitur, cuius Herodianus omnino mentionem non facit.

26, 8, 15. Haec[36] ex Herodiano fluxisse manifestum est; tamen illius errorem (III 4, 3) prudentor vitavit Ammianus.

27, 6, 12. Hunc locum consentire cum Ps. Aristotelis Mirab. auscult. CLXVIII (182)[37] intellexit V. Gardthausen[38] p. 520; ex Herodiano sumptus est, ut adnotavit Westermann l. l.; cf. Gutschmid Kl. Schr. V p. 369.

29, 1, 17 Schneider negavit ea, quae de insidiis Severo a Plautiano paratis leguntur (nam de priore parte huius paragraphi vix quisquam dubitarit, quin hausta sit ex Herodiano, vel propter Quintiani nomen, quod nisi hoc loco et apud Her. I 8, 5 nusquam occurrit, cf. Schneider p. 46) Herodianea esse: quod nobis non placet, etsi concedimus Ammianum ea, quae ex Herodiano sumpserat, aliunde supplevisse; nam Saturninum Herodianus (III 11, 4) tribunum, Ammianus centurionem dicit (item Dio 76, 3, 2).

31, 10, 18f.—19 (Sievers p. 32; Schneider p. 47; Heer p. 172 n. 383[39]) plane cum Herodiano consentiunt.

Ammianum igitur intellegimus ab Herodiano ita pendere, ut res ab eo narratas ex aliis fontibus suppleret et corrigeret; sed talium additamentorum indicia ante Severi tempora non occurrunt.

---

36. cf. Sievers p. 32. Hoefner p. 27. Schneider p. 54. Hirschfeld 'Albinus' p. 457 n. 2.

37. *Παραδοξογράφοι* ed. Ant. Westermann Brunsvigae 1839 p. 59.

38. 'Die geographischen Quellen Ammians' in Jahrb. f. Philol. Suppl. 6, 1872 p. 507—556.

39. Sed errat Heer, cum Dionem dicat, non Herodianum, de centum leonibus a Commodo necatis narrare. Dio enim (72, 18, 1) de ursis, Herodianus (I 15, 6), ut Ammianus, de leonibus loquitur.

§ 3. Zosimus[40].

Idem fere quod de Ammiano de Zosimo iudicabimus Nam si primi libri cap. 7—16, quibus eadem tempora quae Herodianus enarrat, cum Herodiano comparamus, intellegimus eum in rebus Commodi plane cum eo consentire, deinde ex aliis fontibus nonnulla addere. Inde quaestio oritur, num quae proquinquitas existat inter Zosimum et Ammianum; quam quaestionem hic solvi non posse persuasum nobis est, sed in animo habemus eam alio loco tractare. Quare hic satis habemus breviter indicare, quid in illis Zosimi capitibus ex Herodiano, quid ex alio fonte fluxerit[41].

cap. 7 totum ex Herodiano sumptum est exceptis verbis (de Didio Juliano) *παραδόντων αὐτῷ τὰ βασίλεια καὶ τὴν ἐν τούτοις πᾶσαν ἀποσκευὴν* et *τῶν ἐν τοῖς ὀνείροις φαντασιῶν οὐδὲν ἀλλοιότερος διαγεγονώς;* ea a Zosimo ipso addita esse facile credimus.

cap. 8 in. quae de Severo a senatu electo dicit Zosimus referenda videntur ad ultima illa de Juliano senatus consulta, quae Herodianus II 12 commemorat (Martinus p. 14 sq.). Aegypti autem tumultum plane ignorat Herodianus; sed cf. Aurel. Vict. de Caes. 20, 9; Eutrop. VIII 18; Oros. VII 17, 2: consentit igitur hoc loco Zosimus cum chronico imperiali, de quo vide Enmann[42] p. 351. — Deinde Byzantinos Nigrum apud se recepisse nusquam alibi legitur: neglegentia Zosimi fortasse hic locus turbatus est.

Quae sequuntur (p. 8 l. 11—17 M.) cum Herodiano conveniunt et ex eo sumpta videntur; certa de loco nimis in angustum coacto proferre non possumus.

---

40. Editionem adhibui L. Mendelssohnii, quae prodiit Lipsiae 1887.

41. cf. Reitemeier in ed. Zosimi anni 1783 praef. p. XXX. Martinus l. l. Schwartz l. l.

42. Alexander Enmann ‘Eine verlorene Geschichte der roemischen Kaiser und das Buch de viris illustribus urbis Romae’ in Philol. Suppl. 4, 1884 p. 335—501. Orosius autem hausit ex Eutropio, quem citat VII 11 et 20; cf. Oros. ed. Zangemeister p. 695—697.

(ib. l. 18.) Non fluxit ex Herodiano testimonimun, quo dicit Severum Babylonem cepisse; Martinus p. 15 putat Zosimum hanc rem e Dione (75, 9, 3 sq.) hausisse. De quo valde dubito, quoniam Dionis vestigia in Zosimi libro omnino desunt.

(ib. l. 19.) De sequentibus v. quae Mendelssohn (in appendice) dicit ('similem famam secutus est is scriptor quo Eutrop. VIII 18, 4; Fest. brev. 21, 2; v. Sev. 18, 1; Vict. Caes. 20, 15 usi sunt, aliam Herodian. III 9, 3'): hic quoque chronicon imperiale recognoscimus[43].

Ad idem chronicon referenda sunt quae sequntur (l. 20—22): 'ἐγένετο μὲν περὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας ἀπαραίτητος' = v. Sev. 18. 4 'idem cum implacabilis delictis fuit; Aur. Vict. 20, 20 'implacabilis delictis'[44].

cap. 9 quae Zosimus tradit, ab Herodiano aliena sunt, quippe qui de Papiniano omnino taceat. Et recte Martinus p. 15 monet Dionis narrationem cum Zosimo non congruere, sed cum v. Carac. 8, 3—4 (cf. v. Getae 6, 3); neque tamen hic de chronico imperiali cogitandum est; ex eo enim sumpta est ea relatio, quae 8, 5 legitur (cuius auctores 'multi' citantur; nostra autem 8, 3 introducitur verbo 'traditur'), ut Vict. Caes. 20, 33 sq. docet; nec diiudicare audemus, unde haec sumpta sit; e Dexippo conieceris, cui sententiae argumento esse videtur, quod Schulz[45] hunc v. Car. locum compilatori postremo tribuit idemque de loco v. Getae iudicat. Quodsi autem Zosimus solus[46] Papinianum ante Getam necatum dicit, neglegentia illius id factum esse verisimile est.

cap. 10, 1—2 plane confusum est. Et cum Martinus p. 15—16 putet Zosimi de Caracallae caede narrationem cum v. Car. 7, 2 consentire, ego de ea re iudicare non audeo. — Idem dicendum est de eis, quae vitiose de

43. cf. Enmann p. 365. De re ipsa v. Wirth p. 27 sq.
44. cf. Enmann p. 366.
45. 'Beitraege' p. 104 n. 135.
46. v. notam Mendelssohnii.

Macrino imperatore creato tradit; Martinus vero p. 16 existimat errorem inde ortum esse, ʻquod Macrinus praefectus praetorio fuit et qui eo magistratu fungebantur Romae agere soliti suntʼ.

§ 3 Herodiani vestigia reperias, cum is quoque et Byzantii et Chalcedonis et ʻπορθμοῦʼ mentionem faciat (V 4, 11).

c. 11 in. quae de Elagabali turpitudine dicit Zosimus, in universum quidem cum Herodiano consentiunt, nec tamen ita, ut ad singula illius capita referri possint.

§ 2—3 de Severo Alexandro Zosimum e Dione hausisse putat Martinus p. 16. Quod mihi non probatur: nam et Dioni Zosimum quicquam debere negandum videtur neque a Zosimo narrata cum Dione coniungi possunt, qui 80, 1—2 dicit Ulpianum auctorem fuisse occidendi Flavianum et Chrestum; sed concedimus de Ulpiani morte Zosimum eadem ac Dionem referre.

c. 12 Zosimi de Uranio et Antonino narrationem valde turbatam apparet; Herodianei nihil habet; de re ipsa v. notam Mendelssohnii et ea quae exposuit Dessau[47]. Quod vero Herodianus Mamaeae, Zosimus Alexandri avaritiam reprehendit, hoc Reitemeier[48] recte levitati Zosimi vitio dat; res certe ab Herodiano non abhorret.

c. 13, 1—2 ʻplane singulare estʼ, ut iure adnotat Mendelssohn p. 11; tamen Herodiani relationem hic comparere iudicat Bang[49] p. 303 n. 1 et 4, et merito quidem; aliud videtur Boehmio p. 39.

§ 3 cum Herodiano Zosimus consentit (VII 1, 1—4 in.; 3, 1—4 in.); apposita, fortasse ab ipso Zosimo, sunt verba ʻὡς ὀφείλοντάς τι τοῖς βασιλικοῖς ταμιείοιςʼ.

c. 14 in. (p. 12 l. 3—5) sumpta sunt ex Her. VII 4, 1 sqq.;

47. Prosop. imp. Rom. t. II p. 170 no. 125.

48. Zosimus ed. Bonn. a. 1837 p. 333.

49. ʻDie militaerische Laufbahn des Kaisers Maximinus in Herm. 41. 1906 p. 300—303.

quae sequuntur, primum indicium praebent Dexippi adhibiti. Nam quae de Valeriano leguntur, apud Herodianum frustra quaesiveris; redeunt in v. Gord. 9, 7, ubi tamen Valerianus non legatus dicitur, sed princeps senatus qui legationem accipit. Sed utramque narrationem ex eodem fonte manasse apparet collatis verbis Zosimi *ὃς . . ἐβασίλευσεν ὕστερον* cum v. Gord. 'qui postea imperavit', ita ut haec quoque discrepantia Zosimi culpa orta sit. Et cum v. Gord. 9, 6 Dexippus citetur auctor, haec quoque ex eo fluxisse in propatulo est — nimirum e Chronico illius, non e Scythicis: recte igitur Mendelssohnii[50] sententiam refutavit Schwartz; cf. Rappaport, Beitraege zur alten Geschichte I 1901 p. 427 sq.

§ 2. De Maximi et Balbini electione Klebsio[51] adsentior haec Dexippea esse (quod negavit Boehme p. 48 contra Daendlikerum[52]). Quod vero Mendelssohn in appendice p. 12 negat ea Dexippea esse, quoniam is post interfectos demum Gordianos illos XX viros creatos esse tradidit (v. Max. iun. 6, 3), temeritati Zosimi — vel auctoris Zosimi — nimium tribuit; cf. Rappaport l. l. p. 428 sqq.

c. 15, 1 Herodiano debetur, ut docet vel verbum '*συναραμένων*' ab utroque (Her. VIII 5, 9) usurpatum; verba vero Zosimi '*προσάγει τὸν παῖδα τοῖς στρατιώταις ἱκέτην, ὡς ἀρκέσοντα διὰ τὴν ἡλικίαν εἰς οἶκτον ἐκ τῆς ὀργῆς αὐτοὺς μεταστῆσαι*' — orta sunt ex Her. VIII 5, 9 '*αὐτὸν σὺν τῷ παιδὶ προελθόντα τῆς σκηνῆς, ὡς δὴ ἄρα διαλέξαιτο αὐτοῖς*'; perperam igitur rem explicare conatur Boehme p. 39 sq.

c. 16 in. de morte Gordianorum quae dicit Zosimus, cum Zonara (p. 127 l. 24 sqq.[53]) conferenda esse recte Boehme p. 41 monuit; de fonte nihil dicere possumus: ab Herodiano certe aliena sunt.

---

50. Praef. p. XXXIII sq.
51. Prosop. imp. Rom. t. I p. 260 n. 99.
52. l. l. p. 252.
53. vol. III editionis a L. Dindorfio Lipsiae 1870 curatae.

ib. (p. 13 l. 5) de Gordiani tertii origine quae leguntur Dexippea sunt; nihil igitur valet Mendelssohnii nota.

Quae fine cap. 16 Zosimus narrat, foede turbata sunt; nec tamen abest suspicio Zosimum haec ex Her. VIII 8, 3—8 sumpsisse — utrum autem ipse Zosimus an eius fons, nullius momenti est in hac disquisitione — et, qua erat neglegentia, confudisse: sed coniecturae modum hoc excedere non potest. —

Jam in universum si quaerimus, quid sit iudicandum de Zosimi cum Herodiano comparatione, dicendum nobis est magnum consensum existere usque ad Pertinacis (non ut voluit Martinus p. 14 sq. Severi) mortem, deinde aliorum quoque auctorum vestigia comparere. Ipsum vero Herodianum a Zosimo adhibitum esse vix quisquam sibi persuaserit, sed tamen talem auctorem, qui Herodiani verba saepe ipsa exscripserit: Dexippum vero eum non esse vel reliquiae chronici imperialis docent praeter ea quae docuit Schwartz p. 291; sed ne Dexippi quidem annalium indicia deesse supra vidimus.

§ 4. Alii scriptores.

a) Scriptores Latini.

Jam breviter respiciamus eos auctores, qui eorundem temporum res gestas tradiderumt atque Herodianus. Ac primum quidem in Aurelii Victoris libro, qui de Caesaribus inscribitur, nonnulli loci similitudinem quandam Herodiani habent. Tamen nullus talis occurrit, ut nobis persuadeat Victorem Herodiani librum inspexisse.

Sed Eutropium ex Herodiano hausisse coniecerat K. J. Neumann[54], cum Eutr. VIII 19, 2 conferret cum Her. IV 2, 1[55]. Eam sententiam dilgenter refutavit P. Ebe-

54. Rh. Mus. 35, 1880 p. 485 sq.
55. Falso Neumann citat Her. IV 1, 5.

ling[56], cui adsensus est C. Wagener[57] et cuius ratiocinationem nos quoque probamus.

Aliquem fructum praebet epitomae de Caesaribus disquisitio. Nam etsi constat auctorem epitomae in ea parte, quae in nostram cadit quaestionem, Eutropium saepe sequi[58] tamen de reliquis fontibus ignoramus. Eduardus autem Wölfflin[59] p. 284 intellexit eum narrationem suam rebus ex aliis fontibus atque e fonte primario petitis auxisse: ea sententia nostra quoque opera firmabitur:

c. 17, 1 'imperavit annos tredecim (scil. Commodus)' = Her. I, 17, 12; reliqui fontes eum tertio decimo imperii anno necatum dicunt; cf. Dio 72, 22, 6; Aur. Vict. 17, 8; Eutrop. VIII 15.

17, 5 'huic Marcia generis libertini, forma tamen meretriciisque artibus pollens, cum animum eius penitus devinxisset, egresso e balneo veneni poculum obtulit'. Hoc prorsus consentit cum Her. I 17, 8.

19, 2 'Niger Pescennius apud Antiochiam (scil. creatur Augustus)'. — Apud Herodianum solum traditur Antiochiae Niger imperator factus esse, neque aliunde haec epitomae adnotatio fluxisse videtur.

20, 5 'Acer ingenio, ad omnia, quae intendisset, in finem perseverans' cf. Her. II 9, 2 *νοῆσαί τε ὀξὺς καὶ τὸ νοηθὲν ἐπιτελέσαι ταχύς'* -- nec tamen hic consensus adeo magnus est.

21, 1 'imperavit solus annos sex' cf. Her. IV 13, 8 '*πᾶς δὲ ὁ χρόνος, ἐν ᾧ μόνος ἐβασίλευσεν ἄνευ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, ἐν ἓξ ἔτεσι συνετελέσθη*'.

22 'Macrinus militarem luxuriam stipendiaque profusiora comprimeret' cf. Dio 78, 28, 2 neque vero verborum consensum intellexeris; res igitur unde hausta sit, dubium est.

56. 'Quaestiones Eutropianae'. Diss. Halis Sax. 1881 p. 44—48.

57. Philol. 44, 1885 p. 349; ib. 45, 1886 p. 545.

58. cf. Enmann p. 404.

59. 'Aurelius Victor' Rh. Mus. 29, 1874 p. 282—308.

23, 1 Num matris Elagabali nomen ('Soemea') e Graecis (scil. Dione et Herodiano), qui Σοαιμίδα eam vocant, manaverit, incertum est.

23, 2 'Solis sacerdos, quem Phoenices, unde erat, Heliogabalum nominabant' ad verbum fere consentiunt cum Her. V 3, 4 in., maximeque notanda est mentio Phoenicum, cum apud ceteros auctores non reperiatur.

23, 4 Marcelli nomen Herodianus prorsus ignorat qui Alexandrum (V 3, 3) Alexianum nominat; sed Dio (78, 30, 2) patrem eius Marcellum dicit: hinc fortasse epitomator illud nomen sumpsit; tamen res dubia est.

24, 2 De Taurino cf. quae diximus p. 74 ad Zosimi l. I cap. 12.

24, 4 'Alexander vero cum deseri se ab stipatoribus vidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans' proxime accedunt ad Her. VI 9, 5 f.—6 in.

25, 1 quod Maximinus 'Thrax' dicitur, cum Herodiano (VI 8, 1 cet.) consentit; neque Victor nec Eutropius patriam eius significant.

27, 1 'Gordianus, nepos Gordiani ex filia' convenit cum Her. VII 10, 7 f. Praeter Herodianum sola v. Gord 22, 4 eum filia Gordiani senioris natum dicit; quam vitam magna ex parte ex Herodiano pendere supra p. 64 sq. docuimus; cf. Lécrivain p. 444 E.

Jam in universum reputanti dubium esse non potest, quin hic illic epitomator res ex Herodiano sumptas narrationi inseruerit. Utrum autem ipsum Herodianum adhibuerit an alium auctorem, qui ex eo hauserit, pro certo erui non potest; nihil vero impedit, ne illud credamus. Quod autem Opitz (Act. soc. philol. Lips. t. II 1872 p. 262) coniecit fortasse epitomatoris auctorem (quem Ammiani continuatorem putat[60] statim inde a Nervae vita Ammianum pro primario fonte habuisse[61], nos de ea coniectura iudicare non audemus.

---

60. Contra dixit Mendelssohn in ed. Zosimi praef. p. XXXVI.

61. Ei adsentitur Enmann p. 404.

b) Scriptores Graeci.

Primo loco nominandus est Flavius Claudius Julianus imperator. Qui quae in Caesarum convivio de Severo Alexandro dicit[62], plane consentiunt cum Herodiano, ut facile tibi persuadeas eum ex Herodiano haurire. Quare miror Guilelmum Schwarz[63], qui in fontes Juliani inquisivit, Herodiani inter auctores eius mentionem non fecisse.

Deinde Joannem Antiochenum res inde a Commodi imperio usque ad Maximi et Balbini caedem ex Herodiano potissimum sumpsisse constat[64]; de Antiocheno diligenter egit A. Koecher[65]; is ostendit illum pauca e Dione hausta Herodianeis addidisse: hoc Koecheri iudicium nobis quam maxime probatur. Mendelssohn[66] vero cum Joannis fragmenta ex Herodiano sumpta colligeret, recte intellexit fragmentum, cui Mueller numerum 127 tribuit, e Dione fluxisse, nec fragmentum 134 Herodianeum esse, fragmenta 133 et 135 inter se cohaerere. De fragmento 134 autem hoc dicendum est; Initio quae de Caracallae imperii tempore leguntur, fluxerunt e Dione (78, 6, 5). Quae sequuntur Herodianea esse docet nominis forma '*Βασιανός*' pro Elagabalo, quem Avitum dicit Dio. De Serapione Herodianus tacet, Dio refert 78, 4, 4—5: ex Dione manavit hoc, ut apparet e verbis Joannis '*ὡς τεθνήξεται, καὶ Μακρῖνος αὐτὸν διαδέξεται*' — collatis cum Dionis '*ὅτι τε ὀλιγοχρόνιος ἔσοιτο καὶ ὅτι ἐκεῖνος αὐτὸν διαδέξοιτο*. Reliqua vero verbotenus consentiunt cum Dione (78, 7, 1), addita una sententia e 77, 2, 4. — Conferas quoque Boissevainium in editione Dionis vol. III p. 750 sqq. — Quae vero ab excerptore addita sunt, uncis

---

62. vol. I p. 402 Hertlein.
63. Philol. 51, 1892 p. 623 sqq.
64. cf. C. Mueller Frm. hist. Graec. IV Parisiis 1868 p. 583.
65. 'De Joannis Antiocheni aetate fontibus auctoritate'. Diss. Bonnae 1871 (p. 8 sqq.).
66. In Herodiani editione p. 215 sqq.

[] inclusit Mendelssohn. Quibus quod addamus nihil habemus[67].

Jam cum scriptorum Byzantinorum peritiam minimam habeamus, breviter addimus Joannem Zonaram inde a fine Dionis, id est a libri XII cap. 15 usque ad cap. 17 permulta Herodianea habere; de fontibus Zonarae legas quaeso quae disputaverunt W. A. Schmidt[68] M. Heinemann[69], C. de Boor[70], E. Patzig[71]. Id tamen dicendum nobis est Mendelssohnii[72] sententiam, qua putat 'Zonaram inde a Severo Alexandro usum esse Herodiano et quidem ipso, fontem tamen aliquem admiscuisse', probari non posse.

Ut huius disputationis finem faciamus, addimus Photium, ut ipse testatur[73], magna cum voluptate Herodiani libros legisse et Suidam nonnulla ex Herodiano sumpta habere, qua Mendelssohn in editionem Herodiani coegit; ea autem Suidam non ex ipso Herodiano, sed e Joanne Antiocheno hausisse putamus.

Appendix II.

De Herodiani patria.

De Herodiani patria supra hic illic nonnulla adnotavimus, quibus de causis putaremus eum Antiochenum fuisse. Quae breviter huc componere placet, quo magis eluceat sententia nostra. Nam quae adhuc viri docti de Herodiano conie-

---

67. Sed v. quae Boissevain in Herm. 22, 1887 p. 161—178 de excerptis Salmasianis, quae vulgo Joanni Antiocheno adscribuntur, disseruit (cf. Mommsen, Herm. 6, 1872 p. 82—91); cf. de Boor, Herm. 34, 1899 p. 298 sqq.

68. Zonaras ed. L. Dindorf vol. VI p. I—LX.

69. 'Quaestiones Zonareae. Particula I'. Diss. Lipsiae (Dresdae) 1895.

70. Byz. Ztschr. 1, 1892 p. 1 sqq.

71. Byz. Ztschr. 5, 1897 p. 24 sqq.

72. in ed. Herodiani praef. p. XVI n.

73. cod. 99.

cerunt, p. 5 attulimus. Nos quidem Kreutzero p. 7 sqq. adstipulamur eum Syrum fuisse[74]. Sed mirum est eum saepe Antiochiae mentionem facere, nisi ipse in hac urbe natus est. Conferas enim:

II 7, 4—8, 10 narrat, quae Antiochiae fecerit Niger, cum a Romanis auxilio advocatus esset, multaque exponit de moribus Antiochensium (cf. II 7, 9).

III 2, 7—10 accuratissime disserit, quas partes singulae Asiae urbes quibusque de causis secutae sint.

III 4, 1 multos Antiochenses in Nigri exercitu fuisse tradit (cf. III 4, 6).

III 6, 9 cf. quae diximus p. 47 n. 114.

V 3, 5 de Elagabali sacro lapide multa narrat: eum ipsum in Syria vidisse verisimile est; cf. p. 8, p. 55 sq.

VI 4, 3 sqq. Herodianum in Severi Alexandri bello Persico narrando plurima de Antiochia verba facere demonstravimus p. 38.

Praeterea quae de vita eius erui possunt, Wachsmuth l. l. composuit; his diebus A. de Domaszewski[75] e notis eius verbis I 2, 5[76] coniecit eum libertum principis fuisse.

---

74. Eadem est vulgaris opinio; cf. Wachsmuth ‘Einleitung’ p. 693.
75. Archiv f. Religionswiss. 11, 1908 p. 237 n. 1.
76. *ἐν βασιλικαῖς ἢ δημοσίαις ὑπηρεσίαις γενόμενος.*

Index.

Vita.

Natus sum Ericus Ricardus Guilelmus Baaz Lichtenbergae in suburbio Berolinensi a. d. VI. Kal. Nov. anni 1885 patre Friderico, matre Aemilia e gente Boede, quam praematura morte anno 1904 mihi ereptam valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Anno 1890 parentes migraverunt in oppidum prope Magdeburgam situm, cui nomen est Moeckern. Ibi litterarum elementis imbutus vere anni 1897 adii gymnasium Ascanium Berolinense. Vere anni 1904 maturitatis testimonio instructus civibus academicis universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis adscriptus sum et studiis philologicis historicis philosophicis me dedi. Post bis sex menses Heidelbergam me contuli, unde autumno anni 1905 Berolinum redii. Docuerunt me † Dieterich, de Domaszewski, Hettner, Schoell, Suetterlin, Thode Heidelbergenses; Breysig, Delbrueck, Diels, Harnack, Helm, Hintze, Hirschfeld, Kekule de Stradonitz, Klebs, Ed. Meyer, Muench, Ed. Norden, Regling, Reich, Riehl, D. Schaefer, Schmitt, Simmel, Stumpf, Thomas, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses.

Ad exercitationes me admiserunt Heidelbergae historicas de Domaszewski, philologicas Brandt; Berolini epigraphicas Hirschfeld, historicas Hirschfeld Ed. Meyer, numismaticas Regling, philosophicas Riehl. Proseminarii philologici sodalis fui per quinquies sex menses, e quibus per bis sex menses sodalis ordinarius in coetu superiore; praeterea interfui seminario historico sub auspiciis D. Schaeferi per bis sex menses et seminario historico-geographico sub Sieglinii auspiciis per sex menses. Examen rigorosum die XIV. mensis Januarii sustinui.

Omnibus, qui me docuerunt, gratias ago quam maximas. Hirschfeldio autem, qui auctor mihi fuit huius commentationis scribendae neque umquam desiit consilio suo studia mea adiuvare, semper gratum habebo animum.

Denique me societatibus philologorum Berolinensium et Heidelbergensium multum debere libenter praedico.